

Codex diplomaticus
Rommersdorfiensis.



Codez diplomatis
Rommerndorfer



I. P^{ap}st Victor IV. nimmt die Abtei Rommersdorf in seinen besondern Schutze und gibt ihr einige Privilegien. 1162. (Mittelrhein. Urfundenbuch I. 633.)

Victor episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Rodulfo abbati sancte Marie in Rumerstorph ejusque fratribus tam presentibus quam futuris regularem vitam professis in perpetuum. Quociens ea petuntur a nobis, que rationi conveniunt atque justicie, tanto faciliorem prebere debemus assensum, quanto honestatis atque justicie locum tenemus. Eapropter, dilecti in domino filii, vestris justis petitionibus assentientes ecclesiam beate Marie virginis in Rumerstorph, in qua divino mancipati estis obsequio, predecessorum nostrorum felicis memorie paparum Paschalis et Innocentii vestigiis inherentes sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et presentis scripti privilegio communimus, statuentes, ut ordo canonicus secundum regulam beati Augustini ad tenorem Premonstratensis monasterii, qui in eadem ecclesia institutus esse dinoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter conservetur. Bona etiam et possessiones, quas in presencia juste et canonice possidetis vel in futurum concessione pontificum,

largicione regum vel principum, oblacione fidelium seu aliis justis modis Deo propicio poteritis adipisci, firma vobis vestrisque successoribus in perpetuum et illibata permaneant. In quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis: in ipsa villa Rumerstorph . . . (außradirte Lücke) nummi aurei censum Lateranensi palacio persolvendum statuerunt, curtes quoque Gladebach, Rode, Aldesteden, Niderhoven, Steinenbach cum decimis, moleninis, silvis, pascuis, terris cultis vel incultis, piscacionibus et universis redditibus censuum et familiis, Langendorph, Wyse, Wolkenne, ecclesiam de Engerseim, Molenheim, Rethers cum appendiciis suis. Sane obeunte abbate vestro alium ydoneum de vestro vel de alieno collegio liberam habeatis facultatem eligendi communi fratrum consilio vel sanioris partis connivencia, qui secundum Dei timorem et secundum ordinem vestrum vobis preesse valeat et prodesse. Sane laborum vestrorum, quos propriis manibus sumptibusve colitis, decimas a vobis nullus presumat exigere. Sepulturam quoque ejusdem loci liberam esse decernimus, ut eorum, qui se inibi sepeliri deliberaverint, devocioni et extreme voluntati, nisi excommunicati fuerint, nullus obsistat. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat prefatam ecclesiam temere perturbare aut ejus possessiones auferre vel ablatas retinere, minuere aut aliquibus vexacionibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum, pro quorum gubernacione et sustentacione concessa sunt, usibus omnimodis profutura. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostre constitucionis paginam sciens contra eam temere venire temptaverit, secundo terciore commonita nisi presumptionem suam congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat reamque se de divino iudicio existere de perpetua iniquitate cognoscat et a sanctissimo corpore et sanguine Dei et domini redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat atque in extremo examine districte ulcioni subiaceat. Cunctis autem eidem loco justa servantibus sit pax domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum bone actionis percipiant et apud districtum judicem premia eterne pacis inveniant,

Datum Bisuncii per manum Johannis, sancte Romane ecclesie presbiteri cardinalis et cancellarii, tercio ydus Septembris indictione X. incarnationis dominice anno M. C.LXII. pontificatus vero domini Victoris quarti anno quarto.

II. P^{ap}st Innocenz III. ernennt die Aebte von Billers und von Rommersdorf zu seinen Commissaren behufs Organisation eines Kreuzzuges. 1213. (Mittelrhein. Urkundenbuch III. 8.)

Innocentius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Vilariensi et de Romerstorph abbatibus salutem et apostolicam benedictionem. Pium et sanctum propositum, quod de subventione terre sancte pro communi salute Deo inspirante concepimus et perducere satagimus ad effectum, ex generalibus litteris poteritis advertere manifeste. Cum ergo de sollicitudine ac sinceritate vestra geramus fiduciam plenioram, vosque reputemus ydoneos ad fungendum pro Christo legationis officio in hac causa, devotionem vestram monemus, rogamus et obsecramus in domino per apostolica vobis scripta districte precipiendo mandantes et in remissionem peccaminum injungentes, quatinus accensi zelo fidei Christiane per Treverensem provinciam portetis in humilitate cordis et corporis verbum crucis et ad vindicandam injuriam crucifixi fideles ipsius, prout in generalibus litteris continetur, cura sollicita et accurata sollicitudine inducatis exequentes diligenter et efficaciter universa, que pro subsidio terre sancte in eisdem litteris videbitis comprehensa, que a vobis volumus studiose notari. Ut autem operum exhibitione monstretis vos portare in cordibus vestris stygmata Jesu Christi, districte precipimus, quatinus excutientes ab omni munere manus vestras, ne aliquid preter victum et alia necessaria recipientes a quoquam, quin etiam moderate sumentes hec eadem et modeste, in evectionibus quaternarium et in personis senarium numerum singuli vestrum nullatenus excedatis, ita modestiam atque modum in hiis aliisque servantes,

ut in vobis nichil reprehensibile valeat inveniri, per quod offendiculum credito vobis evangelio prebeatur, promoventes eo studio ac vigilantia causam Christi, ut multorum et magnorum bonorum, que dum ipsa credimus proventura, participes existatis. Si quid autem pro terre sancte succursu fuerit vobis oblatum, faciatis illud apud aliquem religiosum locum studiose reponi, significaturi nobis in fine anni processum et profectum sollicitudinis vestre, ut cognoscere valeamus, apud quos profeceritis in personis aut rebus ad hoc salutare negotium deputatis nostrumque vobis beneplacitum rescribamus docentes, qualiter in antea procedere debeatis.

Datum Laterani V. kal. Mai pontificatus nostri anno XVI.

„Die Kreuzbulle,“ bemerkt Günther, „ist ein wichtiges Actenstück; ich kann sie indeß wegen ihrer Weitläufigkeit nicht mittheilen.“

III. P^{ap}st Honorius III. fordert die Abte von Gimne-
rode und von Rommersdorf zum Predigen für einen Kreuzzug auf.
1220. (Mittelrhein. Urkundenbuch III. 120.)

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis de Hemminrod et de Romerstorp abbatibus salutem et apostolicam benedictionem. Celestis altitudo consilii ex hiis, que mala videntur, bona frequenter eliciens Christianum exercitum tam diu, sicut credimus, fatigari permittit in partibus transmarinis, ut cismarinorum devotio ad illorum animata succursum, laborum et premiorum possit particeps inveniri et, dum pro terrena Jerusalem labores et pericula patitur, celestis habitacula mereatur eterna pro temporalibus et celestia pro terrenis felici commercio receptura. Cum igitur laborem succurrendi exercitui memorato levigare debeat expectatio premiorum, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus, assumptis vobis viris idoneis clare fame ac Deum timentibus, per vos et per illos in Treverensi provincia predicationis officio viriliter

insistentes, tam pauperes quam divites, cum utrorumque obsequia necessaria sint exercitui memorato, in virtute spiritus Dei rogetis et obsecretis per aspersionem sanguinis Jesu Christi, ut erga Deum devotionis et erga fratres suos existentes ibidem, quibus, nisi succursum habuerint festinatum, grave timetur periculum imminere, compassionis induentes affectum, eis in personis et rebus sine dilatione succurrant. Nos autem de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus auctoritate confisi omnibus, qui laborem istum in propriis personis subierint et expensis, plenam suorum peccatorum, de quibus fuerint corde contriti et ore confessi, veniam indulgemus et in retributione justorum salutis eterne pollicemur augmentum. Eis autem, qui non in propriis personis illuc accesserint, sed in suis expensis juxta facultates suas viros idoneos destinaverint, et illis similiter, qui, licet in alienis expensis, in propriis tamen personis accesserint, plenam suorum concedimus veniam peccatorum. Hujus quoque remissionis volumus et concedimus esse participes juxta quantitatem subsidii et devotionis affectum omnes, qui ad subventionem predicti negotii de bonis suis congrue ministrabunt aut impendent consilium vel auxilium oportunum. Datum Viterbii V. kal. Februarii pontificatus nostri anno quarto.

IV. Johann von Braunsberg schenkt der Abtei Rommersdorf Güter zu Bendorf. 1220.

In Dei nomine amen! Quoniam nichil morte certius nichilque incertius hora mortis, igitur ego Joannes dictus de Brunisberg miles, diem obitus mei precogitans, sana mente testamentum meum, ut infra sequitur, ordinavi. Primo videlicet volo et ordino, ut in loco sepulture matris mee bone memorie, in cujus sepulchro sepulturam meam eligo, edificetur capellula et altare meis sumptibus. Ad quod altare do et assigno meam portionem bonorum in Waldaffe cum omnibus suis attinentiis et juribus universis et vineam meam sitam prope Limburg versus

Dykirchen, item redditus duorum plaustrorum feni cadentis in Overhusin, quod fenum capellanus ipsius altaris annuatim recipiet et inde solvet singulis annis in meo anniversario dimidiam marcam pro presentia in choro Limpurgensi equaliter inter presentes tam canonicos quam vicarios dividendam, et unum solidum plebano Limpurgensi etiam inde solvet. Ipsum quoque altare confero propter Deum Henrico, nato Rorici de Hondesangen, volens tamen, ut per manufideles meos subscriptos sacerdos idoneus deputetur ad officium altare memoratum, qui etiam integre recipiet proventus dicti altaris tamdiu, donec antedictus Henricus in sacerdotem fuerit ordinatus. Insuper collationem hujus altaris, dum vacaverit, volo pertinere ad meos fratres, quamdiu vixerint, ita tamen, ut conferant semper probo et idoneo sacerdoti. Idem etiam fratres habeant potestatem commitendi ipsius altaris collationem post obitum suum, cui vel quibus committere decreverint in ecclesia Limpurgensi. Item partem meorum bonorum in Bedindorp trado et do ad manus fratris mei, domini abbatis monasterii in Rumerstorph, ut eadem bona pro remedio anime mee et progenitorum meorum levet ad commendationem ipsius monasterii ad honorem beate Marie virginis, prout sue discretioni videbitur melius convenire. Item eidem do et lego sex marcas in pios usus convertendas. . . . (Folgen Legate für andere benannte Klöster, Kirchen und Personen.) In premissorum testimonium sigilla dominorum meorum manufidelium una cum sigillo Petri militis ad petitionem meam presentibus sunt appensa.*)

V. Heinrich von Cobern schenkt dem Kloster Wülfersberg seine Güter in Kurtzheid. 1235. (Mittelrhein. Urkundenbuch III. 527.)

Henricus de Coverna nobilis vir . . . cupio declarare, quod pro salute anime mee et parentum meorum capelle parochiali de Isenburch censum annuum, duodecim videlicet solidos Colonienses

*) Das Datum fehlt, auf der Rückseite aber ist das Jahr 1220 vermerkt.

decrevi legandos. Volens itaque, ut dicta capella jam dictum censum certo loco termino statuto libere percipiat et quiete, bona mea de Cutscheid per manum uxoris mee, accedente matris mee et fratris mei Lotharii consensu, tradidi ecclesie de Vulphirsberch jure hereditario in perpetuum possidenda, ita ut dicta ecclesia ratione prefatorum bonorum ad solutionem dicti census in festo beati Martini annis singulis teneatur... Actum a. d. MCCXXX quinto mense Maii.

VI. Erzbischof Theoderich von Trier setzt die Eigenthums-Rechte der Abtei Rommersdorf an dem Hof Markenberch fest. 1237. (Mittelrhein. Urkundenbuch III. 586.)*)

Theodericus Dei gratia Trevirorum archiepiscopus universis Christi fidelibus presens scriptum inspecturis salutem in domino. Notum esse volumus tam presentis quam future etatis fidelibus, quod, cum bone memorie Henricus quondam buregravius de Ysenburch tempore expeditionis Iherosolimitane ad succursum terre sancte cum aliis fidelibus pro amore crucifixi se suaque relinquens fidei devotione properaret, inter cetera, que de facultatibus suis ordinavit, liberaliter respiciens ecclesiam sancte Marie de Rumerstorph legavit eidem curtem, que Markenberch vocatur, ita ut, si ipse non reverteretur et uxor ejus superstes ei remaneret, ipsa usufructum tantum quoad viveret de curte prefata perciperet, donec ipsa decedente omnimodum dominium et plenaria possessio ejusdem curtis ad ecclesiam de Rumerstorph sine aliqua heredum ipsorum contradictione totaliter deveniret. Quod cum coram multis et honestis testibus publice contigisset, et cum predictus buregravius cursum vite pariter et peregrinationis sue in terra sancta feliciter consummasset, ecce Anselmus miles de Bikkene et uxor ejus predictam curtem invadentes exsortem fecerunt eccle-

*) Das Mittelrhein. Urkundenbuch a. a. O. setzt die Urkunde in das Jahr 1237, ohne Zweifel in Rücksicht auf die gleichfalls aus Rothhausen datirte, verwandte Urkunde vom 1. April 1237 (III. 587).

siam Rumerstoriensem de illa possessione, ea occasione videlicet, quod uxor A. filia fuisset burgravii supradicti. Cumque pro tante injurie illatione ecclesia nostram presentiam interpellasset, lata est excommunicationis sententia contra predictos invasores. In qua dum aliquamdiu tam periculose quam pertinaciter perstitissent, actum est mediante consilio virorum discretorum, quatinus prefati A. et uxor ejus, quamdiu utrique viverent, aliquantam de curte prefata perciperent portionem et ita omni juri, quod secundum suam opinionem videbantur in illa possessione optinere, absolute renuntiarent super altare ecclesie prefate, et ita post eorum amborum obitum sine aliqua heredum suorum contradictione eadem curtis ad ecclesiam de Rumerstorph libere et integraliter secundum prefatam ordinationem burgravii pertineret; quod si saniori ducti consilio adhuc viventes facere vellent, liberam haberent id faciendi facultatem. Qua compositione pro bono pacis ab ecclesia admissa et hinc inde acceptata, soluti sunt a vinculo excommunicationis A. et uxor ejus renuntiantes, sicut preordinatum est, omni juri sue opinionis super altare. Ad cujus rei testimonium ecclesia suas personas locavit in curtem sepenominatam, accedente nichilominus super hoc pontificalis auctoritatis et presentis scripture confirmatione. Igitur ne qua in posterum super presenti ordinatione ac nostra confirmatione controversia consurgat, unde ecclesia sue justitie pati possit detrimentum, excommunicationis vinculo innodamus omnes, qui ecclesie sancte Marie de Rumerstorph super curti de Markenberch qualibet occasione deinceps presumpserint irrogare cujuslibet injurie seu violentie molestationem. Datum Noithusen V. kal. Aprilis.

VII. Erzbischof Arnold von Trier bestätigt die von Arnold von Langendorf dem Kloster Wülfersberg gemachte Schenkung einiger Güter. 1247. (Mittelrhein. Urkundenbuch III. 928.)

Arnoldus Dei gracia Trevirorum archiepiscopus omnibus presens scriptum inspecturis salutem in vero salutari.

Geste rei noticia propagatur in posteros, cui venit auctoritas et robur firmitus a testimonio litterarum. Noverint igitur universi tam presentes quam futuri, quod Arnoldus de Langedorph cognomento Domicellus et mater ejus Paulina procurantes sibi amicos, qui eos reciperent in eterna tabernacula, omnia bona sua in agris et vineis ac possessionibus, que ad portionem hereditatis ipsorum cesserant legitime, ac sine omni alicujus contradictione pro libitu suo poterant distribuere, communi manu et consensu domino offerentes ecclesie in Vulfersberg legaverunt tali subjuncta pactione, quod eadem ecclesia, omnem culturam prefatorum bonorum suis laboribus complens et expensis, medietatem fructuum ex hiis proventurorum ipsis, quoad vixerint, annuatim assignabit, cumque superna vocatione de seculo migraverint, vel si alter eorum sive etiam ambo religionis habitum in sepedicta ecclesia suscipere voluerint, ad quecunque fratri vel sorori tenetur, fideliter ipsis et pro ipsis tam in vita quam in morte persolvere non tardabit et integra sepedictorum bonorum deinceps gaudebit in perpetuum possessione. Ut igitur hec actio firma permaneat et inconvulsa, injuriantium calumpnias condempnantes sententia excommunicationis percellimus eos, quousque satisfecerint, quicumque contra hanc ordinationem ausu temerario presumpserint malignari, presentem paginam sigilli nostri munimine roborantes. Actum a. d. MCCXLVII.

VIII. Papsf Innocenz IV. gibt dem Kloster Rommersdorf die Erlaubniß, das Erbtheil seiner Conventualen zu fordern und anzunehmen. 1247. (Mittelrhein. Urfundenbuch III. 979.)

Innocentius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati et conventui monasterii de Romerstorp Premonstratensis ordinis Treverensis diocesis salutem et apostolicam benedictionem. Devotionis vestre precibus inclinatus, ut possessiones et alia bona mobilia et immobilia, exceptis feudalibus, que personas liberas fratrum ad monasterium vestrum mundi relicta

vanitate volantium et professionem facientium in eodem, si remansissent in seculo, ratione successionis vel quocumque alio justo titulo contigissent, petere, recipere ac retinere libere valeatis, vobis auctoritate presentium indulgemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hec attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursum. Datum Lugduni IIII. non. Januarii pontificatus nostri anno sexto.

IX. Der Stadtrath zu Andernach beurfundet die Stiftung eines Hospitals in Andernach. 1250. (Mittelrhein. Urfundebuch III. 1033.)

Nos scultetus, judices, scabini et cives oppidi Andernacensis presentibus litteris profiteamur, quod Ernestus, civis Andernacensis, et Cristina uxor sua se et sua omnia mobilia et immobilia . . . pro remedio animarum suarum, ad honorem Dei et infirmorum sustentationem hospitali Andernacensi, cujus sunt fundatores, coram nobis communicata manu et pari consensu sollempniter contulerunt . . . In cujus rei testimonium sigillum civitatis nostre presentibus est appensum. Datum a. d. MCCXL nono kal. Januarii.

X. Erzbischof Conrad von Köln genehmigt die vorgedachte Stiftung. 1250. (Günther, C. D., II. 237.)

Conradus Dei gratia sancte Coloniensis ecclesie archiepiscopus, Italie archicancellarius, apostolice sedis legatus . . . Cum dilecti nostri Ernestus et Cristina uxor ejus, cives oppidi nostri Andernacensis Trevirensis diocesis, in honorem Dei ejusque gloriose genetricis accedente nostra voluntate bona et favore quoddam hospitale ad receptionem pauperum et

infirmorum duxerint construendum, nos universa bona infirmorum et pauperum hospitalis ejusdem usibus deputata in nostram protectionem suscipimus specialem. . . . Volumus etiam, ut scultetus noster, qui in prefato oppido nostro pro tempore fuerit, bona dicto hospitali attinentia sicut ea, que nostre ecclesie attinent, studiose tueri et defendere non omittat, nec ipsos pauperes et infirmos permittat ab aliquo indebite molestari. Datum Colonie kal. Januarii a. d. MCCXL nono.

XI. Erzbischof Arnold von Trier verordnet die Ausführung der testamentarischen Bestimmungen Arnold's von Langendorf zu Gunsten des Klosters Wulfersberg. 1252.

A. Dei gracia Trevirorum (! scl. archiepiscopus) dilecto in Christo plebano de Hedensdorf salutem in domino. Dilecti in Christo prior, magistra et conventus in Wulfirsperch nobis exhiberi fecerunt litteras, quibus aperte cognoscitur, quod Arnoldus de Langendorf, dictus Domicellus, et mater ejus Paulina omnia bona sua in agris, vineis ac possessionibus aliis ipsos jure hereditatis contingencia communi manu et consensu ecclesie in Wulfirsperch legaverint, prout in testamento super hoc confecto plenius continetur, ac post ipsorum obitum in dicto monasterio elegerint sepulturam in plenariam fraternitatem recepti. Nunc autem dictus A. viam universe carnis ingressus a quibusdam cognatis suis non permittitur in dicto monasterio tradi ecclesiastice sepulture, sicut ex dicti conventus didicimus conquestione. Quodcirca tibi mandamus precipiendo districte, quatinus omnes illos, qui pium propositum dicti A. impedire conati fuerint ac contradicere presumpserint, ne corpus suum in loco electo sepulture commendetur, publice denuncies excommunicatos et parrochiali jure per omnia salvo ipsius corpus cum devocione debita dicto monasterio facias assignari. Datum Erinbrechstein a. d. MCCLI. feria sexta post conversionem beati Pauli.

XII. Weibbischof Arnold von Bittich bewilligt den Besuchern der Hospital-Kapelle zu Andernach einen 40tägigen Ablass. 1252. (Mittelrhein. Urkundenbuch III. 1156.)

Frater Arnoldus Dei gratia episcopus, provisor spiritualium domini H. Leodiensis electi, . . . Hinc est, quod nos de voluntate et consensu venerabilis domini Ar. Treverensis archiepiscopi in Andernaco personaliter accedentes capellam et altare cum cymiterio domus hospitalis in honore sancti Spiritus ac beati Nicholai sollempniter dedicantes, inspecta paupertate dicti loci et infirmorum ibidem languentium, qui non habent unde sustententur, nisi fidelium elemosinis adjuventur, de omnipotentis Dei misericordia . . . omnibus vere penitentibus et contritis, qui dictam capellam per presentis anni circulum a die dedicationis et per octavas singulis diebus et festivis, in anniversario quoque dedicationis die cum suis visitaverint elemosinis, quadraginta dies et unam carenam de injunctis sibi penitentiis misericorditer relaxamus. . . . Datum a. d. MCC. quinquagesimo secundo in die beati Jacobi apostoli.

XIII. Der Abt Gerhard von Rommersdorf verpflichtet sich zu Anniversarien. 1252.

Frater Gerhardus Dei patientia abbas in Rommersdorf . . . notum facimus . . . quod singulis annis in anniversario bone memorie Hedwigis nobilis matrone de Kempenich sumentur duodecim solidi Colonienses de proventibus [curtis nostre in Rile, de quibus ipsa die providebitur pitancia conventui intus et foris. Preterea de predictis bonis sumentur XVIII solidi Colonienses, de quibus annuatim in commemoratione honeste recordationis domine Jutte de Blankenheim, uxoris quondam Theodorici nobilis viri de Isenburg, ministrabitur conventui intus et foris in piscibus, pulchro pane et vino . . . Acta sunt hec a. d. MCCLII.

XIV. P^{ap}st Alexander IV. bestätigt dem Hospital in Andernach die Erlaubniß zum Bau einer Kapelle. 1254.

Alexander episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis magistro et fratribus hospitalis oppidi Andernacensis Treverensis diocesis salutem et apostolicam benedictionem. Cum a nobis petitur, quod justum est et honestum, tam vigor equitatis quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Sane porrecta nobis vestra petitio continebat, quod, cum Ernestus scabinus ejusdem loci et Cristina uxor ejus hospitale vestrum ad receptionem pauperum et infirmorum ibidem confluentium de novo duxerint construendum, et venerabilis frater noster archiepiscopus Treverensis, loci diocesanus, tam pium opus prosequens favore benigno construendi capellam in eodem hospitali ad divinum officium celebrandum et habenda campanam ad convocandum fratres nec non pro sepultura pauperum cimiterium vobis facultatem duxerit concedendam, inhibens, ne quisquam rector sive plebanus Andernacensis oppidi sine suo speciali mandato eandem capellam audeat ecclesiastico supponere interdicto, sicut in litteris ejusdem archiepiscopi super hoc confectis plenius dicitur contineri, nos vestris supplicationibus inclinati, quod ab eisdem archiepiscopo, E. et C. uxore sua super hoc provide factum est et in alicujus prejudicium non redundat, ratum et gratum habentes illud auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis et inhibitionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani V. id. Decembris pontificatus nostri anno primo.

XV. Werner und Philipp von Bolanden verzichten zu Gunsten des Klosters Rommersdorf auf ihre Rechte an Adenrode. 1260.

Nos Wernerus et Philippus nobiles domini de Bolandia universis Christi fidelibus presentem paginam visuris et auditoris notum facimus, quod nos omni juri et dominio, quod nobis ex hereditaria successione competebat in allodio et curia de Adenrode, cum omnibus suis attinenciis pure renunciavimus propter Deum, tradentes et legantes in manus domini Embriconis abbatis et ecclesie beate Marie virginis in Romersdorf, que a nostris progenitoribus dinoscitur esse fundata, quicquid juris habere potuimus in bonis prenominatis, ut exinde tam nostri quam parentum nostrorum memoria in predicta ecclesia perpetua et fideliter habeatur. Ut igitur hec legacio firma et stabilis perseveret et a nullo hominum in posterum valeat impediri, presentem cedulam jam deitis abbati et ecclesie sancte Marie in Romersdorf nostris sigillis tradidimus roboratam. Datum a. d. MCC. sexagesimo.

XVI. Heinrich von Isenburg schenkt der Abtei Rommersdorf Ländereien zu Rachedorf. 1263.

Notum sit universis tam presentibus quam futuris, quod nos Henricus dominus in Isenburch cum nostra conjuge Meithilda una cum assensu liberorum nostrorum Gerlaci, Ludewici, Henrici, prepositi sancti Cuniberti, et Everardi, nec non socerorum nostrorum, virorum nobilium Godefridi comitis Seynensis et Ditheri de Mollisberch pro remedio nostre salutis et parentum nostrorum duas curias nostras in villa Rachedorph sitas cum omnibus suis attinentiis ecclesie beate Marie virginis in Rumersdorph cum omni jure proprietatis ac libertatis, quo eas possedimus hucusque, manu nostra liberali sub forma subscripta in manus abbatis ecclesie predictae contulimus possidendas, ita ut, quemcunque ecclesia memorata curtibus pre-

fecerit antedictis, de annuis proventibus earundem ad sustentationem sui et ad sementem anni subsequenti duas recipiat portiones, siquidem cum illo tempore, quo pro injuria nobis irrogata quibusdam hominibus imperii sua bona loco pignoris nos recognoscamus minus juste et indifferenter abstulisse, pro eorundem recompensatione magister curiarum predictarum de reditibus tercie partis, prout consilium nostrum dictaverit, et hoc tempore vite nostre, cum requisitus fuerit, eisdem hominibus fideliter respondebit. Post nostrum vero decessum posteris nostris presentibus in facienda solutione per eorum consilium et arbitrium idem fiat, nec tenebitur ecclesia de Rumerstorph preter quam de portione tercia dicto modo de bonis antedictis ulli hominum respondere. Preterea molendinum, quod situm est secus eandem villam, ad usus speciales ecclesie de Rumerstorph pro nostri memoria cum suis obventionibus volumus ut eadem perpetuo serviat libertate, ita sane, quod nec in eo, nec in sepe dictis curiis quisquam liberorum vel heredum nostrorum vel coadvocatorum de Isenburch aliquid sibi juris advocatie debeat usurpare aut expensis hospitalibus vel extorsione animalium sive curruum aggravare, quas etiam ab omni decimatione liberas esse volumus et exemptas, hoc adjecto, quod si bona memorata a nobis vel nostris posteris vel ab ipsa ecclesia fuerint meliorata, jure libertatis gaudeant supradicto. Postmodum vero, cum hominibus imperii, quibus dampnum intulimus, modo quo predictum est fuerit satisfactum, sepe dicta bona sine omni contradictione ad ecclesiam de Rumerstorph revertentur absolute ex integro perpetuo possidenda. Ut autem ea, que predicta sunt, debita firmitate non priventur, sigillo nostro et collateralis nostre, nec non et liberorum nostrorum Gerlaci et Ludewici, Godefridi comitis Seynensis, Ditheri de Mollisberg nec non consanguineorum et coadvocatorum nostrorum nobilium de Isenburch, Henrici de Coverne, Brunonis, Th. et filii sui Salentini presentem paginam abbati Embriconi et ecclesie de Rumerstorph tradidimus communitam. Datum a. d. MCC sexagesimo tertio.

XVII. Philipp von Falkenstein und seine Söhne überlassen ihrem Verwandten Bruno von Braunsberg das alleinige Eigenthumsrecht an dem gemeinschaftlichen Allod Adenrode. 1264.

Phylippus de Valkenstein, imperialis aule camerarius, Ph. et Wer. filii sui recognoscimus presentibus et testamur, quod Brunoni de Brunsberg, consanguineo nostro, allodium nostrum nobis et ipsi commune Adenrode situm tum propter Deum tum ipsius precum interventu conferimus hylariter, ut cum ipso ordinet et disponat, prout saluti anime nostre et ipsius viderit expedire. In cujus rei evidentiam presentibus nostra sigilla duximus appendenda. Actum apud Kunigestein a. d. millesimo ducentesimo sexagesimo quarto.

XVIII. Heinrich von Bolanden genehmigt die von seinem Verwandten Bruno von Isenburg und Braunsberg gethätigte Errichtung eines der Abtei Rommersdorf unterstellten Frauenklosters in Adenrode. 1264.

Nos Henricus de Bolandia, Dei gratia archidiaconus Treverensis, universis presentes litteras inspecturis notum esse volumus, quod, cum dilectus consanguineus noster Bruno de Isenburg et de Brunesberg dominus in allodio de Adenrode, nos ratione hereditatis in parte contingente, quendam novellam plantationem sanctimonialium ibidem Deo famulantium ad laudem et honorem omnipotentis Dei sueque genitricis Marie construere studeat et edificare, nos tanquam heres unus ipsius allodii, hujusmodi plantationem novellam pro salute et remedio anime nostre ac parentum nostrorum ratam habentes et gratam, eidem consensum liberum et voluntarium adhibemus, ita tamen, quod ipsa plantatio novella ecclesie de Rumersdorff in memoriam animarum parentum nostrorum, quorum corpora ibidem requi-

escunt, valeat incorporari. Ad majorem hujus rei evidentiam presentem paginam nostri sigilli munimine duximus roborandam. Actum et datum a. d. MCCLXIV.

XIX. Margaretha von der Mühle vermacht dem Kloster Rommersdorf ihre Besitzungen in der Pfarrei Breitenau. 1265.

Cum ea, que temporaliter aguntur, litteris mandantur, manet tenor veritatis et viventes fidem adhibent anteactis. Universis igitur innotescat, quod ego Margaretha, uxor Theoderici militis dicti de Molendino, sana et incolumis sensu et corpore omnem possessionem meam in parochia Bredynouwe, que me jure hereditario contingebat, in agris, pascuis, nemoribus, domibus, areis et censibus, in pratis etiam preter pratium, quod in der Strud dicitur, quod ad ecclesiam ejusdem ville ad honorem beati Georgii martyris a me et a meis coheredibus defunctis est collatum, pro remedio nostrarum animarum parentumque nostrorum cum ejusdem mariti mei Theoderici unanimi consensu ac manu ecclesie beate Marie in Romerszdorff jure perpetuo tradidi et obtuli possidendam cum omnibus, que pie memorie Gerlacus et Hildegundis germani mei, sine liberis decedentes, cum meo beneplacito et consensu ante suum decesum ecclesie contulerant antedictae, quorum bonorum hereditas ad me utpote unicam et legitimum heredem hereditaria ratione integraliter pertinebat. Hec adeo fecimus solemniter et sincere, quod in eorundem bonorum corporalem possessionem, publicam abrenunciationem facientes, memoratam ecclesiam sine dilatione permisimus subintrare. Acta sunt hec a. d. millesimo ducesimo sexagesimo quinto.

XX. Bruno von Ysenburg schenkt der Abtei Rumerstorph den Hof Ubenrode. 1266.

Cum humane vite brevitatis et labentis temporis mutabilitas nostrum cottidie pulset intellectum, quatinus pro commutatione temporalium premia mercemur eternorum, inde est, quod nos Bruno vir nobilis dominus de Ysenburg universis Christi fidelibus tam presentis etatis quam future presentem paginam lecturis et visuris notum esse volumus et protestamur, quod nos allodium curtis nostre in Adinrode cum omni jure proprietatis ac omnimoda libertate, qua illud possedimus hucusque, cum omnibus suis attinentiis, videlicet in domibus, fundis, silvis, nemoribus, agris, terris cultis et incultis, pratis, pascuis, rivis, aquis aquarumve decursibus ad piscationem ad predictam curtim pertinentibus et molendino super Seinam constituto pro nostra nec non et domine Sophye bone memorie nostre quondam conjugis et nostrorum progenitorum salute cum omnium coheredum nostrorum unanimi consensu et voluntate super altare beate Marie virginis in Rumerstorph tradidimus, dedimus, legavimus liberaliter et obtulimus eandem curiam et allodium jure perpetuo possidendum, potestati et arbitrio memorate ecclesie abbatis Embriconis ac omnibus suis successoribus dispositionem et ordinationem curie antedictae et omnium bonorum attinentium per omnia submittentes, hoc proviso, quod per religiosas ejusdem ecclesie personas, quodquot abbati et conventui memorato visum fuerit sufficere, divina ibidem ob nostri perpetuam memoriam celebrentur. Preterea curiam memoratam ab omni advocatia, exactione et gravamine curruum, equorum et cujuscunque servitutis nobis vel nostris consanguineis impendente decernimus et volumus esse liberam et exemptam, quod etiam nobis iidem consanguinei et coadvocati nostri fide corporali prestita se servaturos publice et fideliter promiserunt, non obstante, quod nos et predicti consanguinei nostri, domini de Ysenburg, ecclesie de Rumerstorph dicimur advocati. Ut autem prescripta elemosina, ecclesie beate Marie virginis in Rumerstorph a nobis libere et liberaliter oblata,

debitum robur obtineat ac perpetuo inconvulsa permaneat, eam presenti pagine fideliter commendatam sigillo nostro et sigillis consanguineorum nostrorum, virorum nobilium domini Henrici de Coverna, dominorum Heinrici et Theoderici de Ysenburg, nec non domini Ludewici et Salatini, dominorum ibidem, sepedicte ecclesie tradidimus communitam. Testes hujus facti sunt viri nobiles dominus Henricus de Ysenburg et filius suus Ludewicus, item dominus Theodericus de Ysenburg et filii sui Cunradus, canonicus sancti Gereonis in Colonia, et Salatinus, item Rudolffus de Brunisberg, Theodericus de Munthabur, Cunradus de Wizzinlinbach, Ludewicus pincerna de Engirsche, milites et castrenses in Brunisberg, Jacobus de Heimbach, Reinardus de Fossato, Henricus de Kettiche, milites et castrenses in Ysenburg, Roricus canonicus in Limpurg, filius Rorici nigri, Phylippus clericus, Hertwinus notarius domini Henrici de Ysenburg, Heindiricus Schonehals, Arnoldus filius Arnoldi buregravii de Seyna, Wernerus filius Dulcis, Rudengerus de Rupach et plures alii fide digni. Acta sunt hec a. d. millesimo ducentesimo sexagesimo sexto in die parascheve in ecclesia beate Marie virginis in Rumerstorph ante majus altare.

XXI. *Diedrich Wazzinache* verkauft der Abtei Romersdorf die Schafweide in Ruppach. 1266.

Noverint universi quod ego Theodoricus dictus de Wazzinache . . . ecclesie de Rumerstorph vendidi ovium pasturam per omnem terminum advocatie, que me in parochia Rupach hereditarie contingit, quatenus ibidem estivo tempore ducentas, hiemali vero ducentas et quinquaginta oves libere et absolute habeat pascentes . . . Sciendum preterea, quod si jus ejusdem advocatie, quam de manu viri nobilis, domini mei, Brunonis de Isenburgh et de Brunisbergh, ratione feudali

tenere me recognosco, cuiquam me vendere vel permutare contigerit, quod absit, irritum habeatur, nisi de prefata ovium pastura ecclesie de Rumerstorph facta fuerit exceptio specialis . . . Actum et datum in Seyna a. d. MCCLXVI infra octavam dominice ascensionis.

XXII. Die Erben von Isfried von Urbach leisten zu Gunsten des Klosters Wulfersberg auf ihre Rechte an einem Hof zu Urbach Verzicht. 1266.

Nos Johannes Heslo et Otto germani dicti de Dudelindorf universis tam presentibus quam futuris presentem litteram visuris et audituris volumus esse notum et tenore presencium protestamur, quod nos cum uxoribus nostris Gerdrude et Elyzabet nec non et liberis nostris pure ac simpliciter abrenunciavimus omni juri et actioni sive juste sive injuste, quam habere videbamus contra priorem, magistram et ecclesiam sororum de Wulfersberg super bonis sitis in Urbach, que nunc possidet ecclesia memorata, que olim avus noster Ysfridus dictus de Urbach possidebat, profitentens, nos nichil juris sive proprietatis habere in bonis predictis, sed nec aliquis liberorum, heredum aut posterorum nostrorum eandem ecclesiam in predictis bonis debeat de cetero molestare, sed ipsa ecclesia prenominata bona, que juste acquisivit et possidet, absque alicujus contradictione libere perpetuo possidebit. In cujus rei testimonium presentem cedulam sigillis domini abbatis de Romerstorph et domini Gerlaci, procuratoris in Confluentia venerabilis patris nostri domini Henrici archielecti Treverensis, ecclesie prenominatae tradidimus communitam. Interfuerunt huic compositioni et abrenunciacioni Henricus dictus Paffhe, Henricus dictus Hulle de Heidinstorph, Wipertus de Engirsche, milites, Ysenbardus de Binzelt, Henricus cogno-

mento Ritthere, Wilhelmus dictus Lintvurm, Ludewicus et alii quam plures fide digni. Acta sunt hec apud Engirsche a. d. MCCLX sexto in vigilia sancti Symeonis confessoris.

XXIII. Erzbischof Heinrich von Trier bestätigt der Abtei Rommersdorf das Hospital in Andernach und verleiht dessen Wohlthätern einen Ablass. 1266.

Henricus Dei gratia Treverorum electus, confirmatus et in archiepiscopum consecratus universis Christi fidelibus hanc paginam visuris salutem in omnium salvatore. Ad conservanda jura ecclesiarum et ad decorem Dei ampliandum nos cura pastoralis invitat, et, ut que per pietatis opera ex karitate fidelium ad refectionem et in subsidium pauperum sempiternum in elemosinam sunt collata, ut (!) sine violacione iniquorum inconvulsa permaneant, devocio conferentium et necessitas indigentium et virtus elemosine nos reddunt sollicitos et intentos. Cum igitur, sicut vidimus venerabilis patris domini Arnoldi Treverorum archiepiscopi, predecessoris nostri, et Godefridi Andernacensis plebani litteris plenius contineri, quod Ernestus et Cristina ejus uxor, cives Andernacenses Treverensis diocesis, ad necessitates pauperum et infirmorum hospitale quoddam in oppido Andernacensi construxerunt, in quo secundum modum facultatum ipsorum et possibilitatem pauperes et infirmi recipi debeant et sustentari, predicto etiam hospitali, ut in eo capella ad divinum officium pulsata campana cum sollempnitate celebrandum et cimiterium esse debeat, predictus dominus Ar., predecessor noster, sua liberalitate concessit ac illud providencie abbatis et capituli sancte Marie in Romersdorff nostre diocesis et successoribus eorum tam in spiritualibus quam in temporalibus gubernandum commisit, nos, quod a predecessore nostro ac Ernesto et uxore sua ac Godefrido plebano Andernacensi predictis sine prejudicio etiam parrochialis ecclesie provide et

rite factum est, ratum et gratum habentes, prefatum hospitale et bona ipsius in nostram protectionem recipientes, omnibus Christi fidelibus vere penitentibus et confessis, qui ad idem hospitale pro subsidio pauperum pias manus porrexerint suas elemosinas conferendo, de Dei omnipotentis misericordia et beati Petri apostoli confisi suffragiis XLa dies de injuncta sibi penitencia misericorditer relaxamus. In cujus rei testimonium presentem cedulam nostri sigilli munimine duximus roborandam. Datum Viterbii a. d. MCC. sexagesimo sexto in vigilia beatorum apostolorum Petri et Pauli.

XXIV. Philipp von Falkenstein verzichtet zu Gunsten des Klosters Rommersdorf abermals auf Adenrode. 1266.

In nomine domini amen! Universis presentes litteras inspecturis et auditoris pax in Christo Jesu. Auctenticarum cautio scripturarum utiliter est inventa iniquarum mentionum dolos eliminans et veritatis dispendium non admittens. Hinc est, quod nos Phylippus nobilis vir de Valkenstein, volentes aliquid offerre in donariis domini, renuntiavimus mente promptissima et fidei omni juri et dominio, quod nobis competeat in allodio et curia de Adenrode in agris cultis et incultis, in silvis, nemoribus, pascuis, pratis, piscationibus, rivis, aquis aquarumve decursibus, fundis, areis, domibus, censibus et cum omnibus suis attinentiis, tradentes, donantes et legantes idem allodium et curiam in manus domini Embriconis abbatis et ecclesie beate et gloriose virginis Marie in Romerstorph, que a nostris progenitoribus fundata dinoscitur, id agentes communicata manu et voluntate liberorum nostrorum, nobilium virorum Phylippi et Werner, ut exinde imperpetuum habeatur memoria parentum nostrorum, domini Werner, nobilis viri de Bollandia, patris nostri, nec non et domine Agnetis, matris nostre, que in eadem ecclesia est sepulta, omniumque progenitorum

nostrorum defunctorum, nostri et filiorum nostrorum tam in vita quam post mortem, quatinus pro hiis et aliis beneficiis et elemosinis in presenti gratiam et in futuro eterna premia capiamus. Ut igitur hec actio et donatio maneat inconvulsa et imperpetuum stabilis perseveret, presentes litteras super hiis confectas appensione sigillorum nostri et filiorum nostrorum Phylippi et Wernerii curavimus communire. Datum a. d. MCCLX sexto sub testimonio et presentia castrensiu nostrorum Cunradi de Solzbach, Cunonis de Birincheim, Johannis de Svallebach, Heinrici de Morle, Sarwardi, militum, et aliorum honestorum virorum fide dignorum apud Kuningstein in die beati Damasi pape.

XXV. Pappst Clemens IV. gewährt der Kapelle zu Adenrode ein Ablassprivilegium. 1267.

Clemens episcopus, servus servorum Dei, universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis salutem et apostolicam benedictionem. Cum ad promerenda sempiterna gaudia sanctorum sint nobis suffragia plurimum oportuna, loca sanctorum omnium pia sunt devotione fidelium veneranda, ut, dum Dei honoramus amicos, ipsi nos amabiles Deo reddant et, illorum nobis vendicando quoddammodo patrocinium, apud ipsum, quod merita nostra non obtinent, eorum mereamur intercessionibus obtinere. Cum igitur, sicut accepimus, dilecti filii abbas et conventus monasterii de Romesdorf (!) Premonstratensis ordinis Treverensis diocesis ecclesiam beate Marie virginis de Adenrode, ad eos pleno jure spectantem, velint de novo facere dedicari, universitatem vestram rogamus et hortamur in domino, in remissionem vobis peccaminum injungentes, quatinus ad dictam ecclesiam de Adenrode imploraturi a domino vestrorum veniam delictorum in humilitate spiritus accedatis. Nos enim, ut Christi fideles quasi per premia salubriter invitemus ad me-

rita, de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus auctoritate confisi omnibus vere penitentibus et confessis, qui cum debita reverentia et devotione ad predictam ecclesiam de Adenrode in sollempnitate dedicationis ejusdem accesserint, centum dies, hac vice accedentibus vero ad eandem ecclesiam in anniversario dedicationis ipsius quadraginta dies de injuncta sibi penitentia misericorditer relaxamus. Datum Viterbii II kal. Januarii pontificatus nostri anno tercio.*)

XXVI. Bischof Edmund von Kurland ertheilt der von ihm eingeweihten Kapelle in Adenrode ein Ablassprivilegium. 1268.

Nos Emundus Dei gratia Curoniensis episcopus notum esse cupimus universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis, quod, cum nos ob dilectionem et instantiam dilectorum nobis in Christo abbatis et conventus in Romerstorf in curia eorundem in Adenrode capellam et altare in honore beate Marie virginis, beate Katterine virginis sancteque Marie Magdalene et omnium sanctorum divina nobis annuente clementia dedicavimus, omnibus vere penitentibus et confessis, qui in anniversario dedicationis et in festis patronarum cum cordis contritione et humilitate locum annuatim venerabiliter visiterint antedictum, de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus ac ea, quam nobis licet indignis Deus contulit, auctoritate confisi quadraginta dies et unam karenam de injunctis sibi penitentiis misericorditer relaxamus. Datum a. d. MCCLX. septimo in tertia feria post dominicam, qua cantatur Invocavit.

*) Das Staatsarchiv hieselbst bewahrt außer dieser Bulle noch eine zweite Bulle desselben Papstes von demselben Tage („Vite perennis gloria“), mittels welcher Clemens IV. der genannten Kapelle für den Tag Mariä Verkündigung ein besonderes Ablassprivilegium ertheilt.

XXVII. P^{ap}st C^{lemen}s IV. entbindet die Abtei Rommersdorf von der Verpflichtung zur Bezahlung der von den Aebten in eigenem Interesse gemachten Schulden. 1268.

Clemens episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati et conventui sancte Marie de Romersdorf Premonstratensis ordinis Treverensis diocesis salutem et apostolicam benedictionem. Indempnitati vestre et ecclesie vestre paterna volentes sollicitudine precavere, auctoritate vobis presentium indulgemus, ut ad solutionem aliquorum debitorum a predecessoribus vestris ejusdem ecclesie nomine contractorum minime teneamini, nisi creditores eorum legitime probaverint, eadem conversa esse in utilitatem ecclesie memorate, non obstantibus renunciationibus, confessionibus, obligationibus, penarum adjectione, juramentis, instrumentis et litteris quibuscunque contractuum tempore interjectis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Viterbii III. idus Octobris pontificatus nostri anno quarto.

XXVIII. Bruno von Isenburg und Braunsberg erneuert die Schenkung des Hofes Adenrode an die Abtei Rommersdorf und fügt derselben noch einen Fischteich hinzu. 1269.

Ne ea, que geruntur in tempore, simul labantur cum tempore, solent perhennari et voce testium et fideli testimonio litterarum. Nos igitur Bruno nobilis de Isenburg et dominus de Brunisberg notum esse volumus tam presentis etatis Christi fidelibus quam future, quod nos donacionem elemosine, quam ecclesie beate Dei genitricis Marie in Rumerstorph contulimus, antequam cum dilecta collateralis nostra domina Ysalda matrimonium contraheremus, curiam videlicet in Adenrode cum omnibus suis appendiciis, sicut in litteris super hoc confectis

plenius continetur, volentes habundancius, firmitus et liberius renovare, donamus, tradimus et legamus eidem ecclesie cum consensu et unanimi voluntate predicte collateralis nostre communicata manu omne jus et proprietatem, quam in piscina nostra, que vulgariter dicitur Blumendal, disposueramus habere, videlicet ad vitam nostram tantummodo donantes eandem piscinam eidem ecclesie libere et absolute perpetuo possidendam, abrenunciantes in presenti manu pariter et calamo omni juri et proprietati, quam habuimus in eadem, et predictam ecclesiam in possessionem ejusdem piscine sollempniter inmittentes, ratum habituri et firmum, quicquid abbas et conventus ecclesie supradicte de ipsa piscina pro utilitate sua duxerit (!) ordinandum. Testes hujus rei sunt dilecti consanguinei nostri Theodericus dictus junior et Salentinus, filius suus, nobiles de Isenburg, Gyselbertus dictus Sach, Reinerus de Fossato, milites, Syfridus dapifer noster et plures alii fide digni, qui huic donacioni, cum fieret, affuerunt. In cujus rei testimonium et perpetuum firmamentum presentem cedula[m] sigilli nostri munimine duximus roborandam. Actum et datum anno incarnationis dominice MCCLXIX. in die annunciacionis beate et gloriose Marie perpetue virginis.

XXIX. Cuno, Burggraf von Rochem, verzichtet zu Gunsten der Abtei Rommersdorf auf seine Rechte in Udenrode. 1274.

Ego Cuno burchravivus de Cochme notum esse volo tam presentibus quam futuris, quod de consensu et beneplacito ac sociata manu conjugis mee Agnetis et liberorum nostrorum sexus utriusque, quicquid juris vel proprietatis habuimus in curte de Adhinrode, adversus ecclesiam de Romersdorp sanus et incolumis et mente et corpore cum abrenunciacione libera et spontanea sub nomine et ratione elemosine totum remisi et contradidi ecclesie supradicte, quatenus proinde nostri ac nostrorum coheredum memoria apud fratres ejusdem ecclesie

in missarum et orationum suffragio perpetua perseveret, tali exceptione interposita, ut, si dicta curtis in Adinrode quocunque modo in manus nobilis viri domini Brunonis de Ysenburch aut in manus ipsius heredum redire contigerit, in receptione nostre portionis stare nobis nostrisque heredibus liceat sicut ante. In cujus rei memoriam presentes litteras tradidi sepe-dicte ecclesie sigilli mei munimine roboratas. Datum et actum a. d. MCCLXX. quarto in festo beati Michahelis.

XXX. Ludwig Walpode von Neuerburg beurkundet den Verkauf von Gütern in Ruppach an das Kloster Rommersdorf. 1276.

Ludovicus miles dictus Walpode de Novocastro . . . Noverint universi presentem literam inspecturi, quod nobilis vir Ludovicus de Interfode et Gertrudis, uxor ejus legitima, filia Conradi militis de Molendale, communi consensu et manu vendiderunt bona sua sita in Ruppach, quorum possessor fuit Henricus, frater Manegoldi, domino abbati ac conventui ecclesie sancte Marie in Rumerstorph pro XII marcis Colonien-sium denariorum Preterea dominus abbas et conventus dicto Ludovico et Gertrudi dederunt locum in Rummers-torph sepulture, quandocunque de medio vite translati fuerint, si ab amicis ipsorum fuerit requisitum . . . Acta sunt hec a. d. MCCLXXVI in die beati Martini episcopi.

XXXI. Salentin von Isenburg vertauscht mit der Abtei Rommersdorf verschiedene Grundstücke in Heimbach. 1279.

In nomine sancte et individue trinitatis amen! Sicut tempus numquam est stabile, sed semper fluens defluit, ita quoque cum ipso tempore temporales semper fluunt et defluunt actiones. Unde, ne ea, que geruntur in tempore, simul nutum temporis consequantur, perhennari debent et voce testium et

fideli testimonio litterarum. Hinc est, quod nos Salentinus vir nobilis, dominus de Isenburch, notum esse cupimus universis tam presentis etatis Christi fidelibus quam future, quod, cum nos in parrochia de Heymbach quosdam agros terre arabilis haberemus ad curiam nostram in Heymbach pertinentes, qui nos ex paterna successione non ex feodo, set ex jure proprietatis hereditarie et legitime contingebant, jacentes quidem sparsim per campos hinc et inde, nostro aratro minus apti, set aratro ecclesie de Romerstorph magis apti, et ecclesia de Romerstorph similiter possideret quosdam agros in territorio dicte ville, qui magis apti nostro aratro videbantur, quam aratro ecclesie supradicte, de consensu et unanimi voluntate predilecte conjugis nostre, domine Agnetis, ac heredum nostrorum communicata manu permutationem sive concambium dictorum agrorum fecimus cum ecclesia memorata . . . (folgen die näheren Bestimmungen des Gütertausches und namentliche Aufzählung der beiderseitigen Grundstücke). Interfuerunt autem huic concambio Henricus de Runkella, dapifer noster, Godefridus de Rachdorph, quondam dapifer noster, Friedericus Rufus de Heymbach, curiarius noster, Fridericus advocatus, Hullewecke, quondam curiarius noster, Cunradus Billunch, Hellewich van Nuenrohde, Cunradus, frater suus, et Arnoldus de Diffendal, homines nostri, fratres ecclesie de Romerstorph et quamplures alii fide digni, qui omnes dixerunt, quod prefate permutationes agrorum optime essent taxate sive estimate et secundum Deum et conscientias hominum rationabiliter ordinate. Ut autem prescripta omnia inconvulsam ac perpetuam optineant firmitatem, et ne a quoquam hominum in posterum aliqua adinventione vel astutia valeant infirmari, presens instrumentum scribi fecimus et sigilli nostri necnon sigilli dilecte conjugis nostre munimine roborari, quod et eidem ecclesie tradidimus in testimonium premissorum. Actum et datum anno incarnationis dominice millesimo ducesimo septuagesimo nono kalendas (!) Septembris.

XXXII. Die Begine Jutta von Rüscheid schenkt der Abtei Rommersdorf Güter zu Anhausen. 1280.

Notum sit universis presentes litteras inspecturis, quod ego Jutta begina de Rusthinscheit omnia bona mea tam mobilia quam immobilia, que me ex hereditaria successione vel quocunque alio jure contingunt, et que in tota parrochia de Hanhusen nunc in presenti habeo, et que sum in posterum habitura, sive sint a meis coheredibus divisa vel adhuc etiam dividenda, in terris, possessionibus, agris cultis et incultis, pascuis et silvis pro salute anime mee et parentum meorum ecclesie beate Marie virginis in Romerstorph tradidi et donavi et super altare beate virginis Marie in sacris diebus penthecostem (!) personaliter obtuli presentibus pluribus probis viris. Insuper coram tota parrochia in Hanhusen dicta bona magistro Godefrido, curiario ecclesie supradicte, nomine ipsius ecclesie resignavi et in corporalem possessionem eorundem bonorum dictam ecclesiam posui et in misi, excepta area mea in Hanhusen et excepta particula terre in Meinbure cum prato adjacente, que ad meam voluntatem disposui reservanda. Prenominata autem ecclesia dicta bona quibuscunque personis voluerit nomine suo locabit cum meo tamen consilio ad colendum et, quoscunque fructus inde perceperit sive censum, mihi, quamdiu vixero, sine contradictione vel impedimento a se facto assignabit, hoc adjecto, quod exnunc in antea nichil de predictis bonis vendere vel alienare a dicta ecclesia potero aut debebo, nisi forte, quod absit, pro evidenti et legitima paupertate. Huic donacioni interfuerunt dominus Henricus plebanus, Ludewicus iudex de Rusthinscheit, Wigandus der Salen cum duobus filiis Henrico et Conrado, Arnoldus gener Wigandi, Ludewicus Meye, Conradus filius patrum mei et universitas dicte ville. Et ut predicta omnia firma permaneant, presentem cedula[m] sigillo honorabilis viri Symonis decani christianitatis in Engers necnon sigillo plebani mei predicti petii communiri, quam eidem ecclesie tradidi in testimonium premissorum. Actum et datum a. d. MCCLXXX in die penthecostes,

XXXIII. Jutta von Nister, Begine, schenkt der Abtei Rommersdorf verschiedene Güter in Heimbach, Mülheim zc. 1297.

Ea, que geruntur in tempore, simul cum tempore memorie nomen perdunt, nisi redivivo litterarum testimonio roborentur. Noscat igitur presens etas et posteritas post futura, quod ego Jutta beggina, filia quondam bone memorie Henrici militis dicti de Nystre, castrensis in Ysinburch, zelo divini pneumatis inflammata dono irrevocabiliter donatione scilicet inter vivos ecclesie seu monasterio beate Marie virginis in Romerstorph Premonstratensis ordinis et publice resigno in manus venerabilis patris domini E. abbatis nomine ejusdem monasterii et pro ipso bona subscripta, scilicet in Heymbach domum et aream, in quibus moror, cum omnibus attinentibus, item ibidem maldrum et dimidium siliginis, quod hereditarie solvit Fridericus advocatus de terra ibidem, item in Mullenheim juxta Kerlyche dimidiam carratam vini et tria maldra siliginis, que solvit hereditarie Hermannus dictus Hachchin eydim, item in Koverna dimidiam carratam vini, quam solvit hereditarie Gertrudis dicta Nimnimbirnissa de tribus particulis vinearum ibidem, item ibidem duos solidos et unum pullum, quos solvit hereditarie Sophia uxor Henrici dicti Suemin de domo et area ufme Viche, item tres solidos et tres pullos, quos solvit hereditarie advocatus de Revenacho de domo et orto contiguus curie sue, item ibidem duos pullos, quos solvit hereditarie Gobelinus dictus Schumekessel de area juxta curiam advocati, item ibidem duos anseres, quos solvit hereditarie domina Eylint de terra ibidem, item ibidem unum anserem, quem solvit hereditarie Henricus dictus Peydir de terra ibidem, item in Revenacho decem et septem jugera terre arabilis, item tres anseres, quos solvit hereditarie Syfridus de Confluentia dictus Eysil de terra arabili sita in Revenacho. Acta autem sunt hec presentibus domino Eynolpho abbate ecclesie de Romerstorph predicte, Embricone custode ibidem, fratre Johanne preposito ibidem, fratre Gobelino curiario ibidem, domino

Henrico pastore in Heymbach, domino Johanne cappellano suo, Rorico dicto Scheleynern et Friderico advocato et aliis quampluribus fide dignis. In cujus rei testimonium presens scriptum ecclesie contuli supradicte sigillis nobilium virorum dominorum de Ysinburg, scilicet domini Gerlaci de Arynvels, domini Salantini, domini Robini de Koverna et domini Johannis de Brunsbergh, firmiter communitum. Et nos domini de Ysinburch nobiles, videlicet dominus Gerlacus de Arynvels, dominus Salantinus, dominus Robinus de Koverna et dominus Johannes de Brunsberg, singula premissa vera esse protestamur et ad preces Jutte de Nistre begine supradicte simul et in favorem ecclesie de Romerstorph supradicte sigilla nostra presentibus duximus apponenda. Datum a. d. millesimo ducentesimo nonagesimo septimo in octavis beatorum Petri et Pauli apostolorum.

XXXIV. Gerlach von Isenburg vergleicht sich mit der Abtei Rommersdorf wegen des Zehnten innerhalb des Berings der Abtei. 1303.

Gerlacus nobilis dominus in Isenburg . . . Cum dissencio inter nos ex una parte et religiosos viros abbatem et conventum monasterii in Romerstorph Premonstratensis ordinis ex altera parte verteretur super decima obveniente infra muros et sepes ambientes ortos et septa dicti monasterii . . . sano usu consilio dicte decime, in cujus possessione nondum fuimus, et omni juri, si quod habuimus in eadem, pro nobis et nostris heredibus universis renunciavimus et renuntiamus in his scriptis. Actum et datum a. d. MCCC tercio in octavis sancte pasche.

XXXV. Das Kloster Dietkirchen zu Bonn und das Kloster Rommersdorf tauschen Güter zu Oberbieber und Niederwinter (Königswinter). 1315.

Pateat universis presens scriptum visuris et auditoris, quod nos Poynzetta Dei gratia abbatissa totusque conventus

monasterii in Deytkirgin prope muros Bunnenses ordinis sancti Benedicti Coloniensis dyocesis cum venerabilibus viris abbate totoque conventu monasterii in Rumerstorp ordinis Premonstratensis Treverensis dyocesis quandam permutationem seu quoddam concambium . . . de bonis nostris in Beverin superiori in Treverensi dyocesi sitis, in quibuscunque rebus ipsa bona utpote vineis, pratis, nemoribus, terris arabilibus, pascuis, piscariis, censibus, pensionibus, obventionibus et aliis juribus consistant, . . cum bonis dictorum abbatis et conventus sitis apud Winter inferius in Coloniensi dyocesi, prout ibi jacent, in quibuscunque rebus utpote nemoribus, vineis, pascuis, pratis, terris arabilibus, censibus, pensionibus, obventionibus, emergentiis, attinentiis et universis juribus consistant, . . . contraximus et inivimus permutando et concambiendo ad invicem cum bonis antedictis . . . Datum et actum a. d. MCCC quinto decimo dominica Invocavit.

XXXVI. Erzbischof Heinrich von Köln genehmigt den vorgedachten Gütertausch zwischen den Klöstern Dietkirchen und Rommersdorf. 1316.

Nos Henricus Dei gratia sancte Coloniensis ecclesie archiepiscopus, sacri imperii per Italiam archicancellarius, ad supplicationem dilectorum nobis in Christo abbatisse et conventus monasterii in Dytkirgen ordinis sancti Benedicti prope muros Bunnenses nostre dyocesis concambio seu permutationi facte inter eosdem religiosos (!) de bonis suis sitis apud Bieveren superiori Treverensis dyocesis ex una parte et religiosum virum dominum abbatem et conventum monasterii in Romersdorp ordinis Premonstratensis Treverensis dyocesis cum suis bonis sitis in Wynteren inferiori nostre dyocesis ex altera, prout in litteris super hoc confectis plenius continetur, auctoritatem nostram et consensum tenore presentium interponimus et decretum. In cujus rei testimonium sigillum nostrum presentibus duximus apponendum. Datum Bunne in octava beati Martini a. d. MCCC decimo sexto.

XXXVII. Bischof Hartung, Coadjutor des Erzbischofs Balduin von Trier, ertheilt dem Abte Krafto von Rommersdorf die Befugniß, einen 40tägigen Ablass zu gewähren. 1317. (Hölzer, De proepiscopis Treverensibus, S. 28.)

Frater Hartungus Dei gracia Macerhensis episcopus, coadjutor in pontificalibus reverendi domini in Christo patris et domini, domini Baldewini sancte Treverensis ecclesie archiepiscopi, venerabili in Christo domino, domino Craftoni abbati in Romerstorf sinceram in domino karitatem. Piis vestre devocionis precibus inclinati concedimus tenore presentium de omnipotentis Dei misericordia et beatorum apostolorum Petri et Pauli auctoritate confisi, ut, quociescunque contingat vos sermonem facere pro religiosis vel secularibus, possitis dare XL dies indulgencie omnibus ibidem presentibus vere penitentibus et confessis. Datum a. d. MCCCXVII die animarum.

XXXVIII. Die für die Diöcese Trier ernannten Subcollektoren quittiren der Abtei Rommersdorf über den Empfang der von derselben in jährlichen Raten zu zahlenden, aber seit 55 Jahren rückständigen päpstlichen Kammergelder und befreien dieselbe von der über sie verhängten Excommunication. 1319.

Nos magister Evrardus scolasticus et Jacobus custos ecclesie sancti Symeonis Treverensis, subcollectores per civitatem et dyocesis Treverensem a venerabilibus viris et dominis magistro Petro Duranti, domini pape capellano, canonico Ebredunensi, et Bernardo de Montealrano, rectore ecclesie beate Marie de Verdanis Tholosane dyocesis, collectoribus primi anni vacationis beneficiorum ecclesiasticorum ad tempus reservatorum necnon debitorum et reddituum camere domini pape pro Romane ecclesie necessitatibus relevandis cedentium per dictas civitatem et dyocesis et nonnullas alias Alamannie provincias a domino Joanne vicesimo secundo, nunc sacrosancte Romane ecclesie predictae summo pontifice, delegatis deputati

seu subdelegati, notum facimus universis, quod recepimus a religioso viro domino Craftone Dei patiencia abbate monasterii sancte Marie in Rumerstorf ordinis Premonstratensis Treverensis dyocesis nomine monasterii predicti tredecim solidos grossorum Turonensium monete regis Francie una cum novem grossis ejusdem monete pro quinquaginta quinque aureis Coloniensibus, in quibus dictum monasterium de quinquaginta quinque annis preteritis proxime ante datum presentium tenetur nomine census annui ecclesie Romane predictae, videlicet quolibet anno unum aureum Coloniensem, sicut in privilegiis vidimus contineri, quem aureum juxta litteras solutionum nobis ostensas in eisdem litteris ad valorem novem denariorum Coloniensium estimatum estimavimus pro tribus grossis monete predictae. Adicimus insuper, quod, si in futurum solutio per aliquos annos de dictis quinquaginta quinque annis facta interveniatur, hoc, quod solum probabitur, cedat in solutionem futurorum annorum. Sententias igitur excommunicationis in abbatem et singulares personas dicti monasterii, suspensionis in capitulum et interdicti in ecclesiam eorum ob hec per nos latas revocamus. Datum a. d. MCCC decimo nono in vigilia circumcisionis ejusdem, pontificatus dicti sanctissimi patris domini Johannis pape anno quarto.

XXXIX. Bischof Daniel, Generalvicar des Erzbischofs Balduin von Trier, ertheilt dem Kloster Rommersdorf ein Ablassprivilegium. 1320.

Nos frater Daniel Dei gracia episcopus Motensis ac venerabilis domini Baldewini archiepiscopi Treverensis in pontificalibus et spiritualibus generalis vicarius universis presentes litteras visuris et audituris sinceram in domino caritatem. Noveritis, quod nos ob reverenciam domini abbatis et monasterii in Rommersdorf ordinis Premonstratensis concedimus et indulgemus, ut, quicumque a quocunque eorum dicti monasterii divinum

audierit sermonem vel alias confessus fuerit, aut etiam qui limina sanctorum ibidem die dedicacionis vel patronorum peregrinanda quesierit, ex parte domini nostri predicti Treverensis et ex parte nostra octoginta dies criminalium peccatorum de injuncta sibi penitencia misericorditer in domino relaxamus, omnes alias ab aliis episcopis indulgencias eis concessas nichilominus approbantes, et presertim de persona domini abbatis hoc intelligi volumus et mandamus. Datum a. d. MCCCXX die beati Nicolai.

XL. Die Eheleute Ernst Volkmar von Andernach schenken dem Kloster Rommersdorf ihre Güter zu Rettig. 1327.

In Dei nomine amen! Nos Ernestus dictus Volcmar et Sophia, conjuges legitimi Andernacenses, notum facimus et profiteamur tenore presencium manifeste, quod prehabita nobis deliberacione diligenti, sani nostris corporibus et mente, pure propter Deum et salutem animarum nostrarum manu conjuncta et pari voluntate nostra donavimus et contulimus liberaliter, presentibus donamus et conferimus donacione seu collacione irrevocabili inter vivos religiosis viris domino abbati et conventui in Romerstorph ordinis Premonstratensis Treverensis diocesis omnia bona nostra tam proprietaria quam hereditaria, que in villa Ketge et in territorio ac jurisdictione dicte ville sita habere dinoscimur qualitercunque, sive eciam consistant in vineis, terris arabilibus seu rebus aliis quibuscunque, ipsis domino abbati et conventui eadem bona singula et universa coram seculari judicio in Ketge et in curia Johannis dicti Schonehals, armigeri, ibidem ac coheredum ipsius et coram juratis et scabinis predictae curie ore et calamo supraportantes cum omnibus pertinenciis et juribus suis, quibus nos ea tenuimus et possedimus usque in diem confectionis presencium litterarum, ac eos in possessionem firmam bonorum eorundem presentibus mittentes, et renunciamus manu conjuncta,

ore et calamo in manus et auctoritatem domini abbatis et conventus antedictorum memoratis bonis omnibus et singulis simpliciter et omnino, nullum nobis eciam vel nostris successoribus in eis jus penitus obtinendo. Acta sunt hec in facie ipsius iudicii et dicte curie, presentibus eciam discretis viris, videlicet predicto Johanne Schonehals, domino Symone plebano in Kethge, Mathia dicto Kyker centurione ibidem, Johanne dicto Dyest, Johanne dicto Strigun, Hermanno Zant, Johanne filio Ryferdi, Everhardo fratre suo, Conemanno dicto Kuninc et Johanne dicto Kolve, villanis in Kethge, ac aliis quam pluribus fide dignis, per nos ad hoc vocatis pariter et rogatis, nolentes eciam, premissa seu premissorum aliquod in posterum impediri seu reclamari per nos vel per personas interpositas arte seu ingenio aliquid in jure canonico vel civili, dantes sepedictis domino abbati et conventui has litteras sigillatas cum sigillis Johannis dicti Schonehals armigeri et domini Symonis plebani antedictorum, que ad instantes preces nostras presentibus appensa sunt in testimonium omnium premissorum. Que omnia et singula supradicta nos Johannes Schonehals et Symon plebanus aliique testes prenominati et prelibati vera esse recognoscimus et coram nobis acta, ac nos Johannem Schonehals et Symonem plebanum antedictos nostra sigilla in premissorum testimonium hiis litteris appendisse. Datum a. d. M. CCC. vicesimo septimo in quindena proxima post festum sancti Georgii martiris.

XLI. Benigna Volkmar von Andernach schenkt dem Kloster Kommersdorf ihre Güter zu Kettig. 1328.

In nomine domini amen! Noverint universi presencium litterarum inspectores vel auditores, quod nos Benigna Volkmar, puella Andernacensis, existens sana mente et corpore, volens, quod de bonis meis temporalibus infrascriptis saluti anime mee, parentum meorum et predecessorum salubriter provideri, Johan-

nes dictus de Vico Piscium, rector capelle sancti Michaelis in Andernaco, sacerdos, et Lanzloyt armiger, opidanus Andernacensis, manufideles dicte Benigne et Cristine, quondam ipsius Benigne sororis bone memorie dudum defuncte, contulimus et in hiis scriptis conjuncta manu et concorditer conferimus in puram propter Deum elemosinam absque omni spe revocationis ex causa legitime donacionis facte inter vivos religiosis personis dominis abbati et conventui monasterii in Romersdorf Treverensis dyocesis ordinis Premonstratensis universa et singula bona mei, Benigne predicte, immobilia tam in terra arabili quam vineis et censibus, sita in territorio ville de Kethge, condicionibus que subsequuntur adjectis, videlicet, quod dicti abbas et conventus in eorum sumptibus et expensis colent et colere tenebuntur et debent dicta bona, videlicet terram et vineas, et solvent omnes pensiones et singula jura, cujuscunque generis existant, facientque eciam omnia et singula, que ego, Benigna predicta, solvere et facere teneor et consuevi de bonis eisdem. Item adjectum est, quod dicti abbas et conventus in eorum vectura, periculo pariter et expensis deliberabunt, tradent et assignabunt integraliter totum crementum dictarum vinearum de Kethge apud Andernacum in domum torcularem mei, Benigne memorate, et ibidem ipsi abbas et conventus libere et absque expensis mei, Benigne prefate, singulis annis, quamdiu vixero, michi ministrabunt, tradent et assignabunt mediam partem crementi dictarum vinearum, contradictione qualibet non obstante. Preterea omnes et singuli stipites antiqui, dicti vulgariter Raymstechen, de dictis vineis descendentes cedent et cedere tenebuntur michi, Benigne predicte, singulis annis, quamdiu vixero. Quos quidem stipites ipsi abbas et conventus cum eorum vectura pariter et expensis apud Andernacum michi ministrare et tradere tenebuntur et debent, ubi ego, Benigna predicta, ipsos stipites ibidem duxero michi fore tradendos et assignandos, dolo et fraude penitus in hiis exclusis. Item adjectum est, quod, postquam ego, Benigna predicta, gressum universe carnis iniero, extunc dicta bona de

Ketghe, quecunque sint illa et prout ibidem sunt sita, cedent et cedere tenebuntur perpetue dictis abbati et conventui jure hereditario possidenda in omni jure, quo ego, prefata Benigna, ea possidere consuevi una cum Cristina, olim mea sorore, dum vixit, aliis exclusis quibuscunque, ita tamen, quod ipsi abbas et conventus post obitum mei, Benigne predicte, gaudebunt eisdem bonis pacifice et quiete, et quod eciam ipsi abbas et conventus extunc tam a porcione dicte medie partis crementi quam a stipitibus, de quibus superius fit mencio, permanent in perpetuum absoluti. Itaque heredes mei, Benigne, quicunque sint illi tam presentes quam futuri, extunc nullum jus habeant in eisdem bonis de Ketghe, exceptis dumtaxat tredecim denariis cum obulo denariorum pagamenti Andernacensis et una gallina cum dimidia annui et perpetui census, quem quidem censum ego, Benigna prefata, legavi et dedi ad altare beate Marie, situm in parrochiali ecclesia dicte ville de Ketghe, quod quidem altare dominus Hermanus de Hademar miles dotavit ibidem, item exceptis duodecim denariis dicti pagamenti, quos ego, prefata Benigna, legavi et dedi ad luminare dicte parrochialis ecclesie de Ketghe, quos quidem tredecim denarios cum obulo, gallinam cum dimidia nec non duodecim denarios antedictos singulis annis et perpetue capiendos assignavi et assigno ipsis ecclesie de Ketghe et altari, prout hec in testamento super hiis tam ex parte mei, Benigne predicte, quam Cristine, olim mee sororis, confecto plenius continentur, hiis ante omnia salvis, quod ipsi abbas et conventus sollempniter in eorum monasterio commemoracionem seu anniversarium mei, Benigne predicte, parentum meorum, Cristine quondam sororis mee aliorumque meorum predecessorum singulis annis facient et in perpetuum facere tenebuntur, super quo nos, manufideles et Benigna predicti, consciencias dictarum religiosarum personarum et cujuslibet earumdem oneramus. In cujus rei testimonium sigillum parrochialis ecclesie Andernacensis ad preces mei, Benigne predicte, necnon nostri, Johannis sacerdotis et Lanzeloyt armigeri, manufidelium antedictorum, presentibus lit-

teris est appensum, quod ego plebanus predictus recognosco fore verum. Et ut premissa majoris roboris haberent firmitatem, nos, Benigna et manufideles sepedicti, rogavimus virum discretum magistrum Henricum, rectorem scholarum Andernacensium, dictum Zwayf de Trajecto, clericum Leodiensis dyocesis, publicum imperiali auctoritate notarium infrascriptum, qui premissis, ut prescribitur, anno, indictione, mense, die et loco infrascriptis una cum testibus, de quibus inferius fit mencio, personaliter interfuit, ea vidit et audivit, ut cum in testem subscriberet et presentes litteras suo signo signaret consueto. Actum in domo habitacionis mei, Benigne predicte, presentibus ibidem manufidelibus meis antedictis, Ernesto, fratre mei Benigne, ac de consensu eorundem necnon presentibus viris discretis dominis Johanne, officiante altare hospitalis Andernacensis, dicto Wynter, Henrico custode dicti monasterii in Romersdorf ordinis Premonstratensis, Johanne dicto Craft de Andernaco, sacerdote, Theoderico dicto de Gyndersdorf, clerico, et Johanne dicto Bachenhals, opidano Andernacensi dicte dyocesis Treverensis, testibus ad premissa vocatis specialiter et rogatis, et datum a. d. millesimo trecentesimo vicesimo octavo secundum consuetudinem civitatis et dyocesis Treverensis, indictione duodecima, mensis Decembris die vicesima septima, videlicet ipso die beati Johannis ewangeliste. Et ego Henricus dictus Swayf de Trajecto.

XLII. Revers der Abtei Rommersdorf gegen Benigna Volkmar von Andernach über die durch deren Schenkung ihr auferlegten Verpflichtungen. 1329.*)

Nos Crafto Dei gracia abbas monasterii in Romersdorf Treverensis dyocesis ordinis Premonstratensis totusque conventus ibidem universis presentes litteras inspecturis et audituris cupimus fore notum, recognoscentes, nos unanimi consensu

*) Transfix zur Urkunde No. XLI.

et concorditer promississe, et in hiis scriptis promittimus Benigne Volcmari, puella Andernacensi, omnia et singula contenta et expressa in instrumento, cui nostra presens cedula est annexa, secundum formam et tenorem ejusdem instrumenti inviolabiliter observare et adimplere, dolo et fraude penitus in hiis exclusis. In cujus rei testimonium nos abbas et conventus predicti duximus sigilla nostra ex certa nostra sciencia litteris presentibus apponenda. Datum a d. MCCC vicesimo octavo feria tertia post octavas epiphanie ejusdem.

XLIII. Diedrich von Arenfels=Isenburg und seine Frau Hedwig geben der Abtei Rommersdorf einen jährlichen Zins zu Heimbach. 1329.

Nos Theodericus de Arenvels, dominus in Ysenburg, necnon Hadewigis, nostra collateralis dilecta, notum esse volumus universis, publice profitentes in hiis scriptis, quod nos conjuncta manu et pari voluntate pure propter Deum et precipue in remedium et salutem anime Theoderici, filii nostri defuncti, donavimus et donamus, assignavimus et assignamus per presentes donacione facta inter vivos et irrevocabili honorabilibus viris domino abbati ecclesie in Romerstorph et conventui ibidem Premonstratensis ordinis Treverensis dyocesis redditum seu census trium solidorum monete in Heimbach (! scl. currentis) et quindecim talentorum olei necnon unius pulli, qui redditus seu census nobis annis singulis solvebantur de area sita in Heimbach prope Valdor, ubi itur ad Gladebag, quam aream quondam Meza dicta van deme Valdor inhabitabat, et (!) pertinebat ad curiam dictam de Solmisse sitam in Wyse, transferentes dictos redditus seu census tam pecunie quam olei et pulli in dictos dominum abbatem et conventum pleno jure, prout nos eosdem possedimus et tenuimus usque ad diem confectionis presencium litterarum, volentes, ut dicti religiosi redditus predictos possideant in perpetuum pacifice et quiete. Dictam vero aream

absolvimus ab omni onere seu jure, quibus in curia nostra de Solmisse fuerat obligata vel ligata, proclamantes ipsam in hiis scriptis de cetero liberam, solutam, propriam, nec ad dictam curiam amplius pertinere. Insuper eciam de gracia speciali tres obulos debibales annis singulis remittimus, quos dicta area in curiam prefatam solvere tenebatur, promittentes bona fide, dictam donacionem seu collacionem, pro anima predicti filii nostri factam, ratam et firmam in perpetuum habere, nec contra eam venire vel facere ingenio, arte sive dolo seu causa aliqua. In cujus rei testimonium sigilla nostra presentibus sunt appensa. Datum a. d. MCCCXXIX circa festum annunciacionis beate Marie virginis gloriose.

XLIV. Erzbischof Balduin von Trier verleiht zu Gunsten des Klosters Rommersdorf einen Ablass. 1330.

Balduinus Dei gracia sancte Treverensis ecclesie archiepiscopus, sacri imperii per Galliam archicancellarius, religiosus viris abbati et conventui monasterii in Rumerstorph ordinis Premonstrasensis nostre dyocesis salutem in domino sempiternam. Si dominum in sanctis ejus generaliter laudare jubemus, dignum profecto et salutare nobis visum est, ipsam ejus gloriosam genetricem specialius venerari, per quam verbum de sinu patris ad ima descendens, ut homini perduto ad summa pararet ascensum, nostre mortalitatis carnis assumens habitum, dignatus est humiliter incarnari, et, sicut mediatorem inter Deum et hominem ex ea suscepimus, sic ipsa gloriosa semper mater et virgo inter ejus natum et genus humanum facta est propicia mediatrix. Vestris igitur supplicationibus favorabiliter annuentes, de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus vere penitentibus et confessis, qui imagini ejusdem gloriose virginis representative, in monasterio vestro per Conradum dictum Win-

ter, confratrem vestrum, nostrum capellanum, ad oppositum exitus chori collocatae, pro salubri statu, quamdiu vixerimus, et post mortem nostram pro salute anime nostre devote inclinantes salutationem angelicam devote protulerint, quadraginta dies de inuncta singulis eorum penitencia misericorditer relaxamus. In cuius rei testimonium sigillum nostrum presentibus est appensum. Datum Trevis in octava assumptionis beate Marie virginis a. d. millesimo trecentesimo tricesimo.

XLV. Der Knappe Werner Wenz nimmt von dem Kloster Rommersdorf Güter zu Winningen in Erbpacht. 1331.

Ego Wernerus dictus Wenze armiger de Steverin notum esse cupio universis in hiis scriptis fideliter profitendo, quod recepi ab honorabilibus viris domino abbate et conventu de Romerstorph Premonstratensis ordinis dyocesis Treverensis jure hereditario possidenda bona infrascripta, videlicet aream in villa Winninchin sitam in Horstorph cum orto sibi contiguo et quinque partes vinearum sitas in terminis ville supradicte, quarum una dicitur major Roupzeche, una minor Roupzeche, unaque dicitur die Helde, unaque dicitur der Garte anme Herwege, et una sita est anme Camero, ita quod annis singulis in festo sancti Martini episcopi yemali de singulis donis predictis assignabo et presentare promitto dictis domino abbati et conventui quatuor marcas denariorum, secundum quod census in Winninchin solvi solent et pagari. Quem censum si solvere neglexero (!) termino premissa, extunc dicti dominus abbas et conventus singula bona premissa in manus suas recipere debent et de ipsis disponere secundum libitum sue voluntatis, non obstante mea contradictione vel meorum amicorum seu heredum quorumcunque. Recognosco etiam in hiis scriptis, me nichil juris habuisse nec habere in supradictis bonis, nisi quod dicti abbas et conventus ad preces dominorum meorum necnon

amicorum meorum eadem bona liberaliter michi concesserunt cum condicionibus supradictis. Promitto insuper in hiis scriptis pro me et meis heredibus, ratum et firmum habere, quod dicta ecclesia de Romerstorph vineas dicto Efelcro hereditarie concessit et ortum Engilberto, servo domini Hertwini militis ibidem. Acta sunt hec coram iudicio seculari in Winninchen, presentibus testibus subscriptis, videlicet Johanne Caggele advocato et Hermanno centurione et scabino, Guntramo, Johanne filio Yliane, dicto Predeger, scabinis, Conrado Doche necnon aliis quam pluribus fide dignis. In cujus rei testimonium presentem litteram sigillis nobilis viri domicelli Gerlaci de Ysenburg necnon strenuorum militum, meorum consanguineorum, Everardi dicti Brenner et Hertwini de Winninchen dedi dictis religiosis firmiter communitam. Et nos Gerlacus de Ysenburg necnon Everardus et Hertwinus milites predicti ad preces jam dicti Weneri armigeri presens scriptum nostris sigillis dedimus roboratum in robur omnium premissorum. Datum et actum a. d. MCCC tricesimo primo circa festum sancti Petri ad vincula.

XLVI. Johann Moelsberg vertauscht mit der Abtei Rommersdorf Güter zu Sönnen. 1335.

Ego Johannes dictus Moelsberg, villanus in Hoengin, publice profitens et fideliter ad noticiam omnium cupio devenire, quod matura deliberacione prehabita super quibusdam bonis quoddam concambium ordinatum et factum est inter me ipsum ex una parte et religiosos viros abbatem monasterii in Romerstorph videlicet et conventum, meos dominos et amicos, ex parte altera condicionibus infrascriptis, ita videlicet, quod ego, Johannes jamdictus, inprimis religiosis viris et dominis antedictis, abbati et conventui monasterii in Romerstorph, contuli et donavi, dono et confero per presentes jure perpetuo

unam rotam, in nemoribus atque silvis dicte ville sitam, in deme Lache van Alzinnheie vulgari nomine nuncupatam, quam siquidem rotam quondam comparavi erga Johannem dictum Molle de Andernacho et Gretam ejus legitimam conthoralem ac eorumdem veros et legitimos coheredes. Item defalcavi et defalco modo et tytulo, quibus supra, dictis religiosis, in quibus michi et meis heredibus legitimis tenebantur decem et octo marcas debitorum cum quatuor solidis monete currentis in Hoengin, tribus scilicet hallensibus pro duobus denariis computatis. Item contuli et donavi antedictis religiosis unum jurnalem terre arabilis, situm in duabus particulis uf deme Hundesacker, quarum particularum una solvit annuatim censum octo denariorum Wernhero filio Kaelchin, reliqua vero Frideruni de Morse solvit annuatim censum sex denariorum monete supradicte nomine et tytulo supradictis. Pro quibus quidem collacionibus et donacionibus sepedicti religiosi michi et meis heredibus legitimis tytulo justi concambii contulerunt concorditer et donarunt unam suam dimidiam domum, sitam in villa predicta ex opposito ecclesie juxta curiam de Kethge, jure hereditario possidendam. Est autem aliud concambium ordinatum inter partes utrobique, quod ego Johannes prefatus contuli et donavi prenomnatis religiosis particulam terre arabilis, sitam under der Holen, circa jurnalem se extendentem, pro qua collacione et donacione supranotati religiosi michi et meis heredibus legitimis contulerunt pariter et donarunt duas particulas vinearum, jurnalem dimidium continentes, quarum una sita est in Monte Lapidoso, altera autem under deme Huttenbaumeswege, tytulo et modo posito superius et expresso. Item contuli et donavi memoratis religiosis duas particulas terre arabilis, sitas ufh deme Huynchinhove, in quarum particularum medio Johannes dictus Hickel particulam unam habet, pro qua collacione et donacione prelibati religiosi michi et meis heredibus legitimis contulerunt duas particulas vinearum, quarum una sita est apud Mezzam Durekaufz, reliqua autem in floro dicto Blitersdal inter Lucardim et Michahalem filium Loeghin,

se circa jurnalem dimidium extendentes, tytulo, nomine et modis omnibus, quibus supra. Ut autem predicta ordinacio et concambium inter nos sic factum permaneat jugiter incon- vulsum, sepefatis religiosis presentes litteras sigillis nobilis viri domini Johannis domini in Arinvelz ac Johannis pastoris in Hoengin tradidi vivide communitas. Et nos Johannes dominus in Arinvelz antedictus necnon Johannes pastor ecclesie predictae ad supplices preces Johannis dicti Moelsberg nostra sigilla appendidimus huic scripto in testimonium omnium pre- missorum. Datum et actum a. d. MCCCXXX quinto in festo annunciacionis beate Marie virginis gloriose.

XLVII. Die Klöster Rommersdorf und St. Pantaleon zu Köln vertauschen Güter und Gefälle. 1335.

In nomine domini amen! Universis presentes litteras visuris vel legi auditoris nos Arnoldus Dei gracia abbas et conventus monasterii sancte Marie in Romerstorf ordinis Pre- monstratensis Treverensis dyocesis et nos similiter Theodricus (!) Dei gracia abbas et conventus monasterii sancti Panta- leonis Coloniensis ordinis sancti Benedicti cupimus fore notum, quod nos, prehabitis deliberacionibus penes nos maturis pen- satsisque nostrorum hincinde monasteriorum utilitatibus eviden- tibus, bona nostra infrascripta adinvicem duximus permutanda et de ipsis permutacionem seu cambium facimus per presentes. Nos videlicet abbas et conventus monasterii in Romerstorf predicti animo deliberato et spontanea voluntate bona seu possessiones nostras sitas apud Arwilre et Wadinheim et ter- minis ibidem, in quibuscunque rebus consistant, in terris vide- licet cultis et incultis, vineis, ortis, pratis seu nemoribus cum suis accessibus, aggressibus, regressibus, juribus, pertinentiis et utilitatibus suis, quibus nos hucusque eas possedimus et tenuimus, nullam in dictis possessionibus vel earum cujus- libet servitatem retinendo, permutamus, permutacionem seu

cambium facimus et inimus cum prefatis dominis abbate et conventu monasterii sancti Pantaleonis predictis pro pensione seu censu annuo dimidie karrate vini communis crementi, quam dimidiam karratam vini singulis annis nomine annue pensionis seu census solvere consuevimus et solvimus hucusque de vineis nostris omnibus et singulis, pertinentibus ad curtem nostram sitam in Hoingin, dominis abbati et conventui monasterii sancti Pantaleonis predictis. Et nos abbas et conventus monasterii sancti Pantaleonis antedicti libera et spontanea voluntate dictam dimidie karrate vini pensionem annuam seu censum, quam dicti abbas et conventus monasterii in Romerstorf nobis singulis annis de bonis et vineis suis predictis nomine annue pensionis solvere tenebantur, et quam a multis retroactis temporibus nobis hucusque sine contradictione qualibet solverunt, ac omne jus et servitutes nobis competentes in bonis et vineis dictorum abbatum et conventus monasterii in Romerstorf, sitis in terminis ville Hoingin, necnon de XVII quartariis vini, que curtis dicta Herkinhelde ecclesie nostre annuatim solvere tenebatur, insuper et de VIII quartariis vini, que fratres domus de Templo in Hoingin, atque de XXV quartariis vini, que Walburgis quondam pistris in Argindorp de bonis, appellatis olim de Dyttarzchane, nobis annuatim solvere tenebantur et solvere consueverunt a tempore, cujus memoria non existit, cedimus et remittimus, et de ipsa pensione vini cum ipsis abbate et conventu monasterii in Romerstorf pro ipsorum possessionibus, terris cultis et incultis, vineis, ortis, pratis seu nemoribus et ipsarum appendiciis, juribus et pertinenciis universis, ut predicatur, que dictis abbati et conventui in ipsis hucusque quomodolibet competebant, sitis apud Arwilre et Wadinheim, omni eo jure, quo ad ipsos pertinebant, permutationem seu cambium facimus, promittentes hincinde bona fide, dictam permutationem et omnia premissa rata et firma habere et tenere et in nullo per nos seu alios vel per aliam submissam personam contra prefatam permutationem facere vel contravenire arte, ingenio sive causa, omnique dolo et

fraude exclusis penitus in premissis, excepcioni doli, actioni in factum et decepcioni et omni alii juris auxilio tam canonici quam civilis expresse hincinde et mutuo penitus renunciando. Super quo in testimonium atque firmitatem perpetuam nos abbates et conventus monasteriorum predictorum sigilla nostra duximus presentibus apponenda de certa sciencia et voluntate omnium nostrorum ex utraque parte. Actum et datum a. d. MCCCXXXV in die beati Thome apostoli.

XLVIII. Die Eheleute Swan und Lyfa von Münstermaifeld sichern dem Kloster Rommersdorf für ihren Todesfall das Erbtheil ihres, dem Kloster als Profeß angehörenden Sohnes zu. 1338.

Universis presentes litteras visuris et auditoris nos Jwanus et Lysa conjuges, opidani in opido Monasteriensi Meynvelt, notum esse cupimus et publice profiteamur per presentes, quod volumus et pari consensu nostrorum liberorum firmiter statuendo ordinamus, ut post obitum nostrum venerabilis in Christo pater dominus abbas et ejus conventus monasterii in Rumerstorph, sicut condicionaliter est tractatum et ordinatum, nomine filii nostri Emundi, ibidem professi, in partem totalem omnium nostrorum bonorum mobilium seu immobilium, consistencium in opido predicto aut ejus confinio seu locorum ubicunque in domibus, areis, ortis, agris, vineis, censibus, redditibus aut aliis bonis, quocunque nomine censeantur, ipsum Emundum, tamquam si esset in seculo, contingentem jure hereditario succedant atque dividant et participant cum nostris liberis, quos nos de medio sublatis habuerimus superstites atque vivos. Et ut hec nostra ordinacio prefata et voluntas necnon nostrorum liberorum consensus nullius hominis inpugnacionibus seu molestacionibus pregravetur, presentes litteras rogavimus sigillis venerabilium virorum, videlicet domini officialis curie Confluentine et domini

decani ecclesie Monasteriensis opidi supradicti, in fidem et testimonium semper vividum communiri. Et nos officialis et decanus jam dicti profiteamur, sigilla nostra ad instantes preces dictorum conjugum et eorum liberorum presentibus appendisse. Datum a. d. millesimo trecentesimo tricesimo octavo feria tertia post invencionem sancte crucis.

XLIX. Gerlach Herr zu Ffenburg schenkt dem Kloster Rommersdorf einen Zins zu Heimbach-Weiß. 1339.

Wyr Gerlach herre zu Ffinburch dun kunt allen den luden, die dusin breif ane seint oder horent lesen, daz der abbit unde der convent zu Romerstorph uphheven fullint alle jair des neistin dynsdagis na sente Mertinsdage an unsin zinsin zu Heymbach unde zu Wyffe eyne marc geldis, dri gude haller vur ekelichin penninc zu zelene, die eyn unse amptman, der die vurgenanten zinsse uphhevit, welcher zu der zyt is, geven sal alle jair in die pittanzie zu Romerstorph vurgenant uph den dach vurgenant, die wilne vrawe Dyse, unse eliche vrawe, der got genade, besatte den herrin von Romerstorph in irre pittanzie umme heil unde gehuggenisse irre felen, also doch, daz wir oder unse erven die vurgenanten marc geldis muge loiffin, zu welcher zyt wir willen, mit zeyn marken guder pennynge, dri gude haller vur den penninc, die sy doch beleyen fullent mit unsin wiffin umme eyne marc geldis erflicher gulden, darvan dat sy begaen fullint wilne unser elicher vrawin jairgezide alle jair uph sente Brizzien dach mit yrrin commendazien unde mit yrrer missin. Duser sachen zu eyne gezeuge so han wir unse ingesegel an dusin breif gehangen. Duser breif wart gegeben, do man schreif na Goiz geburte dusint jair druhundert jair in deme nuen und driffichstem jaren uph sente Elizabeth dach.

L. Erzbischof Balduin von Trier schenkt der Abtei Romersdorf ein Haus in Coblenz. 1341.

Baldewinus Dei gracia sancte Treverensis ecclesie archiepiscopus, sacri imperii per Galliam archicancellarius, notum facimus universis, quod nos consideranter et provide attendentes, quod et si quibuslibet piis ac caritativis subventionum operibus placetur altissimus et obtineatur a fidelibus regnum ejus, illud tamen acceptabilius creditur, quod sanctis ecclesiis ac devotis ibidem domino continue famulantibus exhibetur, ubi Deus ipse assidue colitur et oracionum sacrarum suffragio porta salutis pulsantibus aperitur. Hinc est, quod erga religiosos viros abbatem et conventum monasterii in Romerstorff Premonstratensis ordinis nostre dyocesis speciali affectione moti, intuitu Dei et gloriose semper virginis Marie, matris ejus, necnon pro nostre, predecessorum, successorum et progenitorum nostrorum ac felicis recordacionis domini Henrici Romanorum imperatoris, germani nostri, animarum remedio et salute domum nostram sitam in opido nostro Confluentino in vico, qui Holtzschugazze vulgariter dicitur, confinantem ab una parte cum domo altaris sancti Silvestri, quam eciam ad ipsum altare in remedium anime nostre contulimus, et ab alia tendentem super vicum, quo super litus Moselle itur, per nos legitime acquisitam et ab omni censu et onere liberam et immunem cum suis edificiis, appendiciis et juribus universis prefatis religiosis et eorum monasterio in Romerstorff pure et liberaliter in elemosinam donacione legitima et perfecta inter vivos donavimus et tradidimus, donamus et conferimus per presentes. Ipsi autem abbas et conventus, nolentes de aliqua notari ingratitude, sed provida deliberacione inter eos prehabita, attendentes, quod in officiis caritatis illis primo sunt obnoxii, a quibus se recognoscunt beneficia recepisse, ut nobis hujusmodi et alia beneficia saltem spiritualiter recompensent, ordinaverunt et inviolabiliter statuerunt, quod, quamdiu in humanis fuerimus, pro felici nostro et gregis nobis commisso statu et pro salute animarum nostre, predecessorum, successorum et pro-

genitorum nostrorum, necnon recolende memorie dicti domini Henrici Romanorum imperatoris, germani nostri, unam missam de summa trinitate, de spiritu sancto aut de beata virgine Maria in crastino festi beate Marie Magdalene vel, si id feriatum fuerit, proxima die non feriata sequente annis singulis in suo choro decantare et celebrare debebunt sollempniter et votive, et quod post obitum nostrum loco misse hujusmodi nostrum anniversarium ipso die, quo nos ab hoc seculo migrari contigerit, cum sollempniorum vigiliarum novem lectionum, qui (!) dicuntur Parce michi domine, in sero et in mane cum missarum et commendacionum pro defunctis in choro predicti sui monasterii, strato tapeto et quatuor candelis accensis superpositis, decantacione et celebracione devota et campanarum compulsacione sollempniter peragent pro nostre et aliorum pretactorum animarum salute. Et ut fratres pretacti sui conventus tam presentes quam posteri ad premissorum fidam observanciam fervencius inclinentur, sponte et liberaliter et ex certa sua sciencia suis litteris promiserunt, quod duos aureos denarios parvos de Florentia bonos et legales vel eorum valorem de universis et singulis bonis monasterii sui predicti per abbatem, qui pro tempore fuerit, dandos et solvendos in diebus pretactis, videlicet in crastino beate Marie Magdalene in vita nostra et post nostrum obitum in ipsa die obitus, ministrabunt et ministrari facient singulis annis in perpetuum pro eorundem fratrum sui conventus communi refectione et pitancia speciali. Et nichilominus ultra hos duos denarios aureos alios duos florenos ejusdem pagamenti religiosiis viris abbati et conventui monasterii in Arenstein memorati Premonstratensis ordinis dicte nostre dyocesis dabunt annis singulis et persolvent. Quos quidem duorum florenorum redditus annuos ab eis pro triginta duobus florenis aureis pretacti pagamenti redimere et reemere poterunt cunctis temporibus successivis. Cum quibus triginta duobus florenis aureis pretacti abbas et conventus de Arenstein bona immobilia seu redditus perpetuos pro se et suo monasterio ad usus pretactos emere et comparare debebunt. Et iidem abbas et conventus de Arenstein ad

decantacionem et celebracionem tam missarum quam vigiliarum, necnon ad dictorum duorum florenorum aureorum pro pitancia distribucionem et ad alia omnia et singula, sicut de abbate et conventu monasterii in Romerstorf predictis superius exprimitur, sponte et liberaliter in perpetuum se suis litteris obligarunt. In cujus rei testimonium sigillum nostrum presentibus litteris est appensum. Datum Treveris a. d. millesimo trecentesimo quadragesimo primo die terciadecima mensis Septembris.

II. Abt Heinrich von Rommersdorf bekennt, vom Erzbischof Balduin von Trier ein Haus in Coblenz zu einem Anniversarium erhalten zu haben. 1342.

Nos Henricus abbas et conventus monasterii in Romerstorf ordinis Premonstratensis Treverensis dyocesis notum facimus universis, quod, cum reverendus in Christo pater et dominus Baldwinus sancte Treverensis ecclesie archiepiscopus, volens diem messionis extreme caritativis operibus prevenire, quandam domum suam, sitam in opido suo Confluentino in vico, qui Holtzschuchgasse vulgariter appellatur, per ipsum dominum nostrum archiepiscopum acquisitam, ab omni censu et onere liberam et immunem, nobis et dicto nostro monasterio in elemosinam favorabili liberalitate donacione legitima et perfecta inter vivos tradiderit et donarit, necnon promociones multiplices, favores et gracias nobis et predicto nostro monasterio sepius exhibuerit et impenderit graciose, nos proinde attendentes, quod in officiis caritatis illis sumus primo loco obnoxii, a quibus nos cognoscimus beneficia recepisse, ut igitur (!) pretacta et alia beneficia per prefatum dominum nostrum archiepiscopum, ut premittitur, nobis impensa presertim spiritualiter, prout convenit, compensemus, matura deliberacione et unanimitate inviolabiliter ordinavimus et statuimus et presentibus ordinamus, quod, quamdiu memoratus domi-

nus noster archiepiscopus in humanis fuerit, pro felici suo et gregis sibi commissi statu, necnon pro salute animarum ipsius, predecessorum, successorum et progenitorum suorum, necnon pie recordacionis domini Henrici Romanorum imperatoris, germani sui, unam missam de summa trinitate, de spiritu sancto aut de beata virgine Maria in crastino festi beate Marie Magdalene, si idem crastinum feriatum non fuerit, alioquin proxima die sequenti non feriata annis singulis in nostro choro decantare et celebrare debemus sollempniter et votive, post obitum autem memorati domini nostri archiepiscopi hujusmodi missa peculiari omissa, ejusdem domini nostri archiepiscopi, anniversarium die, in quam incidit, cum sollempnioribus vigiliis novem lectionum, que dicuntur Parce michi domine, in sero et in mane cum missa pro defunctis et sollempni commendacione in choro predicti nostri monasterii, strato tapeto et quatuor candelis accensis superpositis, cum decantacione devota et speciali campanarum compulsacione pro dicti domini archiepiscopi et aliorum pretactorum animarum salute sollempniter peragemus. Et ut fratres pretacti nostri conventus tam presentes quam posteri ad premissorum fidam observanciam fervencius inclinentur, ex certa sciencia, sponte et libere promisimus et promittimus in hiis scriptis, quod duos florenos de Florencia aureos vel eorum valorem de universis et singulis bonis nostri monasterii predicti dandos et solvendos per abbatem nostri monasterii, qui pro tempore fuerit, singulis annis imperpetuum in diebus pretactis, videlicet in crastino beate Marie Magdalene in vita memorati domini nostri archiepiscopi et post ejus obitum in ipsa die obitus, ministrabimus et ministrari faciemus pro eorundem fratrum nostri conventus communi refectioe et pitancia speciali. Et ultra premissa solvimus nichilominus et dedimus ante confectionem presencium litterarum in parata pecunia juxta ordinacionem sepedicti domini nostri archiepiscopi et ex parte ipsius religiosi viri abbati et conventui monasterii in Arenstein dicti nostri ordinis et dyocesis triginta et duos aureos denarios de Florencia pro perpetuis bonis sive redditibus per

eos comparandis. Ipsi quoque abbas et conventus de Arenstein ad decantacionem et celebracionem tam missarum quam vigiliarum, necnon ad dictorum duorum florenorum pro pitancia distribucionem et ad alia omnia et singula in omni modo et forma, sicut de nobis superius exprimitur, imperpetuum tenebuntur et se sponte et liberaliter ad hoc suis litteris obligaverunt. In cujus rei testimonium sigilla nostra presentibus litteris duximus apponenda. Datum a. d. millesimo tricentesimo quadragesimo primo die quarta mensis Februarii.

LII. Abt Wilhelm von Arnstein bekennt, vom Erzbischof Balduin von Trier eine Summe Geldes für ein Anniversarium erhalten zu haben. 1342.

Nos Wilhelmus abbas totusque conventus monasterii in Arenstein ordinis Premonstratensis Treverensis diocesis notum facimus universis, quod, cum reverendus in Christo pater et dominus noster, dominus Baldewinus sancte Treverensis ecclesie archiepiscopus, volens diem messionis extreme caritativis operibus prevenire, triginta et duos denarios aureos de Florentia bonos et legales per religiosos viros abbatem et conventum monasterii in Romerstorf dicti nostri ordinis occasione cujusdam domus in Confluentia per ipsum dominum archiepiscopum ipsis religiosis et eorum monasterio in elemosinam et in anime sue remedium collate pro perpetuis bonis sive redditibus per nos comparandis favorabili liberalitate dari nobis deputaverit, quos prefati abbas et conventus jam actu nomine ipsius domini nostri archiepiscopi et juxta suam ordinacionem et, prout in litteris suis confectis desuper continetur plenius, in parata pecunia nobis dederunt integraliter et persolverunt, nos proinde attendentes, quod in officiis caritatis illis sumus primo loco obnoxii, a quibus nos cognoscimus beneficia recepisse, ut igitur (!) pretacta et alia beneficia per prefatum dominum archiepiscopum, ut premittitur, nobis impensa presertim spiritua-

liter, sicut convenit, compensemus, matura deliberacione et unanimi voluntate inviolabiliter ordinavimus et statuimus et presentibus ordinamus, quod, quamdiu memoratus dominus noster archiepiscopus in humanis fuerit, pro felici suo et gregis sibi commissi statu, necnon pro salute animarum ipsius, predecessorum, successorum et progenitorum suorum, necnon pie recordacionis domini Henrici Romanorum imperatoris, germani sui, unam missam de summa trinitate, de spiritu sancto aut de beata virgine Maria in crastino festi beate Marie Magdalene, si idem crastinum feriatum non fuerit, alioquin proxima die sequenti non feriata annis singulis in nostro choro decantare et celebrare debebimus sollempniter et votive, post obitum autem memorati domini nostri archiepiscopi loco hujusmodi misse ejusdem domini nostri archiepiscopi anniversarium die, in quam inciderit, cum sollempnioribus vigiliis novem lectionum, que dicuntur Parce michi domine, in sero et in mane cum missa pro defunctis et sollempni commendacione in choro predicti nostri monasterii, strato tapeto et quatuor candelis accensis superpositis, cum decantacione devota et campanarum omnium speciali compulsacione pro dicti domini archiepiscopi et aliorum pretactorum animarum salute sollempniter peragemus. Et ut fratres pretacti nostri conventus tam presentes quam posterius ad premissorum fidam observanciam fervencius inclinentur, ex certa sciencia, sponte et libere promisimus et promittimus in hiis scriptis, quod duos aureos denarios de Florencia vel eorum valorem in alia pecunia usuali de universis et singulis bonis monasterii nostri predicti dandos et solvandos per abbatem nostri monasterii, qui pro tempore fuerit, singulis annis imperpetuum in diebus pretactis, videlicet in crastino beate Marie Magdalene in vita memorati domini archiepiscopi et post ejus obitum in ipso die obitus, ministrabimus et ministrari faciemus pro eorundem fratrum nostri conventus communi refectioe et pitancia speciali, nos, successores nostros et prelibatum nostrum monasterium ad observanciam omnium premissorum tenore presencium firmiter obligantes. In cujus rei

testimonium sigilla nostra presentibus duximus apponenda.
Datum a. d. millesimo trecentesimo quadragesimo primo die
quarta mensis Februarii.

LIII. Vertrag zwischen der Abtei Rommersdorf und dem
St. Simeons-Stift zu Trier wegen Zahlung der Zinsen von Wein-
gärten zu Moselweiß und Bubenheim. 1347.

Nos abbas totusque conventus monasterii beate Marie
in Romerstorph ordinis Premonstratensis Treverensis dyocesis
notum facimus universis, quod, cum antecessores nostri abbas
et conventus pariter quasdam vineas pertinentes ad nostrum
monasterium prelibatum, sitas prope villam Wysse super Mo-
sellam juxta Confluenciam, cum venerabilibus viris dominis tunc
decano et capitulo ecclesie sancti Symeonis Treverensis ad quan-
dam sue ecclesie curtem, sitam in loco dicto Gladebach, permu-
tassent, ipsique domini decanus et capitulum easdem vineas
pro censu annuo et perpetuo videlicet sex marcharum dicto
conventui locavissent, item cum domini abbas et conventus
predicti prefatis dominis decano et capitulo ecclesie sancti Sy-
meonis de quibusdam bonis suis apud Bovinheym sitis dimidiam
marcham annui census ante dictam permutacionem solvere annis
singulis tenerentur, et orta inter partes predictas discordia su-
per solucione dicti census, in qua moneta fieri deberet, dominis
sancti Symeonis Coloniensem monetam petentibus, abbate et con-
ventu Aquensem dare volentibus, et cum super dicta solucione
inter eos aliquamdiu dissensio moveretur, tandem hec questio
et controversia consilio et ordinacione discretorum virorum in
modum, qui sequitur, amicabiliter est sopita, videlicet, quod
abbas et conventus predicti pro dictis sex marchis et dimidia
predictis dominis decano et capitulo dare et Treveris presen-
tare deberent singulis annis in perpetuum festo beati Martini

hyemalis septem libras et octo solidos Treverorum (!) denariorum legalium et bonorum tali condicione, si moneta Treverensis forsitan excresceret, quod dicti abbas et conventus marcham argenti puri pro singulis triginta solidis Trevericorum denariorum solvere deberent. Quam ordinationem tam ipse abbas et conventus quam ipsi domini tunc decanus et capitulum predicti unanimiter laudaverunt et acceptaverunt et bona fide promiserunt observare. Preterea cum de novo inter nos nunc abbatem et conventum nostrum ex una et venerabiles viros decanum et capitulum ecclesie sancti Symeonis ex altera parte super solucione dictorum censuum discordia iterum sit exorta, ita videlicet, quod ipsi domini sancti Symeonis volebant habere marcham argenti pro triginta solidis, prout superius exprimitur, et nos abbas et conventus dictas septem libras et octo solidos in pagamento in civitate Treverensi curribili solvere volebamus, et cum hec dissensio sive discordia inter nos hincinde per annum et amplius jam durasset, tandem post multos et varios tractatus inter nos et dictos dominos ecclesie sancti Symeonis habitos, jurisperitorum et amicorum nostrorum freti consilio, ad sedandam hujusmodi questionem, et ne in posterum inter nos hincinde et dictos dominos sancti Symeonis aliquis scrupulus questionis sive discordia super solucione dictorum censuum oriatur, nos abbas et conventus noster cum ipsis dominis decano et capitulo sancti Symeonis et ipsi nobiscum super prefata solucione concordavimus in hunc modum, videlicet, quod nos abbas et conventus noster nostrique successores in perpetuum singulis annis medio tempore infra festum beati Remigii et festum sancti Martini hyemalis pro dictis septem libris et octo solidis denariorum Trevericorum viginti florenos parvos de Florenzia boni auri et justii Treverici ponderis vel monetam equivalentem in pagamento Treverico dabimus et solvemus in civitate Treverensi cellerario ecclesie sancti Symeonis, qui pro tempore fuerit, nostris periculis et expensis sub modis et condicionibus et penis, que in primis litteris super dicta permutatione factis plenius continentur, arbitantes et obligantes nos, abbas et conventus noster predicti,

pro nobis et successoribus nostris, quod, si dicte vinee in Wysse ad solvendum censum viginti florenorum predictorum non suffice-
rent, quod (!) nichilominus dictum censum de bonis predictae curtis
nostre in Gladebach ac vineis predictis singulis annis ad ple-
num solvere et satisfacere teneamur sub condicionibus et pe-
nis antedictis. In cujus rei testimonium sigilla nostri, abbatis
et conventus predictorum, una cum sigillis dominorum decani
et capituli sancti Symeonis predicti, hujusmodi ordinacioni et
composicioni consencientium, ad majorem certitudinem omnium
premissorum sigilla nostra (!) presentibus duximus apponenda.
Datum anno ab incarnatione domini millesimo CCCmo XL
sexto in crastino purificationis beate Marie virginis, mensis
Februarii die tercia. Et nos, quelibet parcium predictarum,
unam litteram super premissis in equali forma nobis observemus.

LIV. Gerlach Herr zu Sfenburg benachrichtigt den
Trierischen Archidiacon Robin von Sfenburg, daß er der
Abtei Rommersdorf das Patronat über die Kirche zu Heimbach
geschenkt habe, und ersucht ihn, die von der Abtei zu präsentirenden
Geistlichen als Pfarrer zu bestätigen. 1350.

Venerabili viro domino Robino de Ysinburg, archidyacono
Dei gracia in ecclesia Treverensi, Gerlacus vir nobilis, dominus
in eodem castro Ysinburg, quicquid poterit reverencie et ho-
noris cum plenitudine omnis boni. Noveritis, quod nos pure
et simpliciter propter Deum ac pro salute anime nostre et
nostrorum progenitorum animarum donavimus et contulimus
et supraportavimus irrevocabiliter donacione, que inter vivos
fieri solet, cum omni sollempnitate debita et consueta ac do-
namus, conferimus et supraportamus in hiis scriptis jus patro-
natus ecclesie in Heymbach cum omnibus suis attinenciis qui-
buscunque viris religiosis domino abbati et conventui monasterii
beate Marie virginis in Romerstorph ordinis Premonstratensis

dyocesis Treverensis perpetuis temporibus omni jure suo obtinendam (!) et possidendam (!), sicut in litteris super hoc confectis plenius continetur. Unde vestram reverenciam nobis semper gratam omni studio quo poterimus duximus exorandam, quatenus unum pastorem de suis sacerdotibus et confratribus, quem dominus abbas et conventus ejusdem ecclesie in Romerstorph vobis presentaverint, in eandem ecclesiam Heymbach intronizare et investire dignemini committendo eidem curam animarum et custodiam reliquiarum, quocumque tempore ipsi viri religiosi hoc requisierint a vobis, sicut ad vestri officii pertinet dignitatem. Et hec vobis atque universis et singulis, quorum interest, sub sigillo nostro presentibus appenso duximus significandum (!). Datum a. d. MCCC quinquagesimo sabbato post nativitatem beate Marie virginis gloriose.

LV. Der Pastor Johann von Hönningen verzichtet auf die Pfarrei zu Heimbach. 1350.

Venerabili viro ac domino, domino Robino de Ysinburg, archidyacono Dei gracia in ecclesia Treverensi, Johannes de Hoengen, quondam pastor ecclesie de Hembach, quicquid poterit reverencie et honoris. Noveritis, quod animo deliberato, benivola voluntate et divini remuneratoris intuitu libere renunciavi super pastoriā ecclesie in Hembach antedictę, michi donatam et collatam a nobili viro domino Gerlaco domino in Ysinburg, ac renuncio penitus per presentes propter gratuitam donacionem et collacionem ejusdem ecclesie a prefato domino Gerlaco factam religiosi viri domino abbati et conventui monasterii beate Marie virginis gloriose in Romerstorph ordinis Premonstratensis Treverensis dyocesis, prout in litteris super hoc confectis lucidius continetur. Protestor nichilominus publice in hiis scriptis, deinceps nichil juris me habere in ecclesia memorata. Ideoque vestram honorandam dignitatem presentibus duxi exorandam, quatenus unum de suis sacerdotibus et

fratribus, quem dominus abbas et conventus ejusdem ecclesie in Romerstorph vobis presentaverint, in prenotatam ecclesiam Hembach intronizare et investire dignemini adhibitis ad hec sollempnitatibus debitis et consuetis, sicut ad vestrum officium dinoscitur pertinere. Et hec vobis et omnibus, quorum interest, sub sigillo meo huc usque consueto presentibus appenso duxi significandum (!). Datum a. d. MCCC quinquagesimo in crastino sancti Luce ewangeliste.

LVI. Derselbe bestimmt, daß die Renten und Güter, welche ihm die Abtei Rommersdorf zur Leibzucht gegeben habe, nach seinem Tode der Abtei wieder zufallen sollen. 1350.

Ich Johan van Hoengen, wilne pastoer der kirchen zu Heymbach, don kunt allen dengenen, dye dusen breyf syent und horint lesin, dat also sulch pagt und jerliche gulde, vonse und zwenzich malder kornis und dru vuder winis Heymbacher mayssen, dye mir dye geyslichen lude, der apt und der convent des cloysters zu Romerstorph, ordins van Premonstrey, in Tryerre buchzdum gelegen, gevent und in gudin truwen gelayst hant zu gevene alle jair umbe rechtliche gunst, na myne dode sal ledich und los weder vallen an den apt und den convent zu Romerstorph sunder yemans wyederrede, vortme also sulch erve und gut, als mir dye vurgenanten geystliche lude gegeben und gewyft hant in der marken zu Hoengen, min lyfzocht, an wingarten, wyesen, ackerlande, mit zwen raderen in den walt, dat dat alzemale los, vri und ledich weder an dye geystliche lude vurgenant vallin sal ain yemans crot. Und wye id steyd uf den dag, as ich van duseme ertriche gevarrin bin, also sulen dye vurgenanten geystliche lude des vurgesprochen gudis zu Hoengen annemen und underwinden, so wye id steyd uf denselven dag, ayn hindernisse und ansproche al mynre vrunde. Alle argelift is uzgesheydin in alle dusen stucken. Und des zu eyne sicherin urkunde so han ich, vurgenant Johan, mit myne ingesyegele besygelit

dusen breyf und han gebedin den edelen man, herre Gerlach herren zu Hünburg, und dye erber lude, dye scheffenen zu Hoengen, dat sye mit mir hant besyegelit dusen breyf. Und wir Gerlach herre zu Hünburg und wir scheffenen zu Hoengen vurgenant bekennen uns, dat wir durch Johans bede han besyegilt dusen breyf zu eyne urkunde alle dufer dinge. Dure breyf wart gegeben, du man schreyf zu Latine a. d. M^o. CCC^o. quinquagesimo in crastino sancti Luce ewangeliste.

LVII. Bischof Gerwich, Generalvicar des Erzbischofs *Balduin* von Trier, beurkundet die von ihm vollzogene Weihe des Hochaltars in der Klosterkirche zu Kommersdorf und ertheilt dem Kloster verschiedene Ablassprivilegien. 1351. (*Holzer*, *De proepiscopis Trevirensibus*, S. 44.)

Nos frater Gerwicus, Dei et apostolice sedis gracia episcopus Balezensis ac venerabilis domini, domini Baldewini archiepiscopi Treverensis in pontificalibus et spiritualibus vicarius generalis, universis Christi fidelibus presens scriptum visuris et audituris sinceram in domino caritatem. Noveritis, quod anno dominice incarnationis MCCC quinquagesimo primo die dominico proximo post nativitatem beate Marie virginis gloriose summum altare in ecclesia de Romerstorf ordinis Premonstratensis Treverensis diocesis consecravimus in honore serenissime ejusdem virginis Marie et beati Johannis apostoli et ewangeliste, adhibitis ad hoc sollempnitatibus debitis et consuetis, dedicacionem ejusdem ecclesie, capellarum ac altarium in diem dominicum proximum post festum beati Martini episcopi hyemalis transtulimus et transferimus in hiis scriptis et omnibus vere penitentibus et contritis, qui in die dedicacionis ac eciam festis patronorum devote peregrinando limina ejusdem ecclesie quesierint, ex parte venerabilis patris ac domini, domini Treverensis archiepiscopi quadraginta dies et karenam, similiter

auctoritate nostra quadraginta dies et karenam indulgenciarum de omnipotentis misericordia ipsis uberius impertimur. Preterea, quicumque Miserere mei Deus vel tria Pater noster pro felici statu domini Treverensis, pro fidelibus defunctis et pro nostro statu felici quando vel quociens devote dixerit, ex parte domini Treverensis XX dies et ex parte nostra totidem indulgenciarum misericorditer in domino relaxamus. Et quicumque Angelicam salutacionem coram imagine beate Marie virginis posita in exitu chori dominorum pro nostro statu felici oraverit, quando vel quociens hoc fecerit, similiter quadraginta dies indulgenciarum adhibemus perpetuis temporibus duraturos. In cujus rei testimonium sigillum nostrum presentibus est appensum. Datum et actum anno et die ut supra.

LVIII. Abt Theoderich und der Convent vom Kloster Floreffe notificiren der Gemeinde Horchheim, daß sie ihre dort gelegenen Güter an benannte Conventualen des Klosters Rommersdorf Namens desselben verkauft und genannte Klosterbrüder von Floreffe bezw. Rommersdorf mit der Ausführung dieses Kaufacts beauftragt haben. 1357.

Universis presentes litteras inspecturis et specialiter discretis et honestis viris villico et scabinis ville de Horchem nos Theodericus Dei patientia ecclesie Floreffiensis abbas ac totus ejusdem loci conventus salutem in domino cum agnitione veritatis. Cum nos pro evidenti utilitate ecclesie nostre predictae concorditer et de licentia reverendi patris ac domini, domini abbatis Premonstratensis venderidimus religiosiis viris et fratribus nobis in Christo dilectis Waltelmo de Ludenstorph, pastori in Hedinstorph, et Sifrido de Brunsberg, sacerdotibus et canonicis nostre filialis ecclesie in Romerstorph ordinis Premonstratensis Treverensis dyocesis, ementibus de pleno assensu et auctoritate sui proprii abbatis omnia nostra bona, quocunque etiam nomine

censeantur, sita in villa de Horchem predicta et ejus territorio, jure hereditario et in perpetuum possidenda, sive hujusmodi bona consistant in curiis, domibus, vineis, terris cultis et incultis aut in rebus aliis quibuscunque, cum omnibus suis honoribus et oneribus, juribus, censibus, pertinentiis, proventibus, accessibus, aggressibus et regressibus, necnon cum omni actione, que nobis quacunque de causa in eisdem bonis competit seu possit competere hactenus, nunc et in futurum, prout hec et alia in litteris venditionis inde confectis plenius continentur, nos igitur (!), volentes hujusmodi venditionem ad effectum debitum pervenire, ad opus ementium predictorum et sue ecclesie religiosos viros fratres Adam de Gemblaco, nostrum canonicum, priorem in capella Stilingi, et Godefridum de Hachenberg, canonicum dicte ecclesie de Romerstorph, absentes tanquam presentes nostros veros et legitimos constituimus et facimus procuratores ac nuntios speciales et quemlibet eorum in solidum ad comparendum coram (!) villico et scabinis predictis et aliis iudicibus, a quibus seu eorum curia dicta bona moventur et descendunt, dictosque ementes ibidem investiendum et adheredandum nomine nostro, ipsaque bona werpiendum, effectucandum et eisdem renuntiandum ore et calamo secundum usum et consuetudinem dicte ville seu curie et iudicum predictorum, ac omnia alia et singula faciendum, quod faceremus et facere possemus in premissis et ea tangentibus, ac si personaliter interessemus, ratum, gratum et firmum habentes et habituri, quidquid per dictos nostros procuratores seu eorum alterum actum fuerit in premissis. In cujus rei testimonium sigilla nostra litteris presentibus duximus apponenda. Datum a. d. MCCC quinquagesimo septimo mensis Novembris die XVa.

LIX. Gottfried von Hachenburg, Bevollmächtigter des Klosters Floreffe, übergiebt vor dem Schöffengerichte zu Horschheim den Bevollmächtigten des Klosters Rommersdorf die von diesen käuflich erworbenen, vorgedachten Güter zu Horschheim. 1357.*)

Noverint universi presentia perceptori (!), quod ego frater Godefridus dictus de Haychinberg, canonicus regularis monasterii in Romestorf (!) ordinis Premonstratensis dyocesis Treverensis, sub a. d. MCCC quinquagesimo septimo in die beate Barbare virginis vice, auctoritate et nomine procuratorio accessi in villam de Hoyrcheim, presidente ibidem honesto viro Paulo dicto Snabil, iudicio seculari et nichilominus investivi, heredavi, supraportavi et renuntiavi nomine, quo supra, omnia bona et singula reverendi in Christo patris domini abbatis Floreffiensis et sui conventus in villa de Hoyrcheim predicta qualitercunque situata, etiam quocunque nomine censeantur, in manus religiosorum virorum Walthelmi de Ludenstorf, pastoris in Hedenstorf, et Syfrydi de Brunsberch, fratrum et canonicorum regularium in Romerstorf, monasterii prenotati, simpliciter et expresse cum sollempnitatibus ibidem in iudicio debitis et consuetis, omnidolo et fraude exclusis omnimode in premissis. Acta sunt hec coram Paulo iudice prenotato, nec non discretis viris et honestis Conrado dicto Swayff, Heynrico dicto von der Baych, Johanne dicto de Nykinnich et Heynemanno dicto Swayff, scabinis ejusdem iudicii, ad premissa pro testibus rogatis specialiter et vocatis. In cujus rei testimonium sygillum mei fratris Godefridi, procuratoris antedicti, litteris presentibus, quibus hec presens cedula est transfixa, est appensum una cum sigillo scabinorum communium ibidem in Hoyrcheim meis precibus presentibus appenso in evidentiam amplioem omnium premissorum, quod nos scabini in Hoyrcheim communiter verum esse presentibus publice profitemur anno et die prenotatis.

*) Transfir zur Urkunde No. LVIII.

LX. Verschiedene geistliche Herren bezeugen die Schenkung einiger Weingärten in Hönningen an das Kloster Rommersdorf. 1359.

Nos Constantinus de Cornu, prepositus sancte Marie ad gradus, Henricus Oppenheim, scholasticus, et Henricus de Heinsberg, canonicus ecclesie sancti Cuniberti in Colonia, testamentarii sive executores testamenti honesti viri domini Henrici bone memorie, quondam decani ecclesie sancti Cuniberti, cupimus fore notum publice protestando, quod predictus dominus Henricus religiosus viris dominis abbati et conventui monasterii in Romerstorff ordinis Premonstratensis Treverensis diocesis donavit atque legavit duas pecias vinearum sitas in territorio seu confinio ville de Hoingen, quarum una vulgariter der Werner, altera der Gruline nuncupatur, irrevocabili donacione, que inter vivos fieri solet, pro salute anime sue et suorum progenitorum. Hec quidem donacio et legacio fuit ejus ultima voluntas nulla contradictione obstante. In cujus rei testimonium sigilla nostra presentibus sunt appensa. Datum a. d. M. CCC. LIX. crastino beati Johannis ante portam.

LXI. Cardinal Pileus bestätigt alle dem Kloster Rommersdorf von den Päpsten und Bischöfen bewilligten Ablässe und Privilegien. 1379.

Pileus, miseracione divina titulo sancte Praxedis presbiter cardinalis, ad infrascripta apostolica auctoritate suffulti, universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis salutem in domino. Cupientes quoslibet christiane fidei professores per indulgenciarum premia ad pietatis studia excitare et monasterium Romerstorffiense Treverensis diocesis congrua venerari devocione, omnes et singulas indulgencias, gracias et privilegia pro eodem monasterio per cunctos Romanos et alios pontifices prius concessas (!) et eidem monasterio largitas (!) ratas (!) habemus et gratas (!) ipsaque auctoritate apostolica, qua fungimur

in hac parte, confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre ratihabicionis et confirmacionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignacionem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Frankfordie XVI. kal. Octobris pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri, domini Urbani divina providencia pape VI. anno secundo.

LXII. Das Officialat zu Coblenz wird wegen unbilliger Handlungen gegen die Abteien Kommersdorf, Arnstein und Sayn vor die Römische Curie geladen. 1422.

Guillermus Maligeneri utriusque juris doctor, domini nostri pape capellanus et ipsius sacri palatii apostolici causarum causeque et causis ac partibus infrascriptis ab eodem domino nostro papa auditor specialiter deputatus, universis et singulis dominis abbatibus, prioribus, prepositis, decanis, archidiaconis . . . per civitatem et diocesis Treverensem ac alias ubilibet constitutis et eorum cuilibet insolidum, ad quem vel ad quos presentes nostre littere pervenerint, salutem in domino . . . Noveritis, quod nuper sanctissimus in Christo pater et dominus noster, dominus Martinus divina providencia papa quintus, quandam commissionem sive supplicacionis cedulam nobis per certum suum cursorem presentari fecit, quam nos cum ea, qua decuit, reverencia recepimus, hujusmodi sub tenore: Dignetur s. v. causam et causas nullitatis, iniquitatis et injusticie quarundam perversarum excommunicacionum, interdicti et suspensionis sentenciarum et aliorum perversorum processuum per quosdam Symonem de Bopardia, assertum officialem curie Confluentine, et Petrum de Indagine, sigilliferum in dicta curia Treverensis diocesis, contra et adversus venerabiles et religiosos viros dominos abbates, canonicos et conventus monasterio-

rum in Arinstein, in Romerstorff et in Seyne ordinis Premonstratensis predicte diocesis occasione certarum pecuniarum indebite ab eis petitarum et rebus aliis in hujusmodi causa deducendis latarum, emissarum et fulminatarum, necnon causam et causas, quam et quas prefati domini abbates, canonici et conventus dictorum monasteriorum movent seu movere intendunt tam conjunctim quam divisim super premissis ac nonnullis injuriis et rebus aliis in hujusmodi causa deducendis et eorum occasione contra et adversus supradictos Symonem et Petrum et quoscunque alios sua communiter vel divisim interesse credentes, committere alicui ex reverendissimis patribus dominis sancte Romane ecclesie cardinalibus audiendi, cognoscendi, decidendi et fine debito terminandi . . . Post cujusquidem commissionis sive supplicacionis cedulae presentacionem et receptionem fuimus pro parte predictorum dominorum abbatum, canonicorum et conventuum monasteriorum in Arinsteyn, in Romerstorff et in Seyne ordinis Premonstratensis predicte diocesis principalium, in prescripta nobis facta et presentata commissione principaliter nominatorum, debita cum instancia requisiti, quatenus sibi citationem legitimam una cum inhibitione extra Romanam curiam et ad partes contra et adversus prenominatos Symonem de Bopardia, officialem curie Confluentine, et Petrum de Indagine, sigilliferum in dicta curia dicte Treverensis diocesis, omnesque alios et singulos sua communiter vel divisim interesse credentes juxta et secundum vim, formam et tenorem commissionis prenarrate in forma solita et consueta decernere et concedere dignaremur. Nos Guillermus auditor prefatus, attendentes, requisitionem hujusmodi fore justam et consonam rationi, . . . auctoritate apostolica nobis in hac parte commissa vos omnes et singulos supradictos et vestrum quemlibet insolidum tenore presentium requirimus et monemus primo, secundo, tercio et peremptorie, vobis nichilominus et vestrum cuilibet in virtute sancte obediencie et sub excommunicationis pena, quam in vos et vestrum quemlibet ferimus in hiis scriptis, nisi feceritis, quod mandamus, districte precipiendo mandantes, quatenus infra sex dierum spacium post

